UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Theologiæ Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

**Bosco, Jean a**

**Antverpiae, 1686**

Sectio III. De Libertate Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73680

Visual Library

*Deus magis vult creaturas meliores.* quòd non diligit neceſſariò optimum; amore enim inefficaci magìs complacet in meliori & perfectiori. Hactenùs Franc. & nos cum illo. Ex quo patet, quare in Concluſ. addiderim ly, *Efficaciter*; quia de ſimplici complacentia hìc non diſputatur; ſed de efficaci tantummodò voluntate, quâ Deus ad extrà liberè operatur, non ſolùm liberè phyſicè, ſed etiam moraliter; & ideò poſſibilia, quæ vult, producit, & quæ non vult, non producit: omnia quippe operatur ſecundùm conſilium ſeu beneplacitum ſuę voluntatis. Quærit aliquis à me, quid ſit illud beneplacitum, ſive, quid ſit velle liberum Dei, jam ediſſero; & quia res moleſtiſſima eſt, pro ea inſtituo novam Sectionem, in ordine

# SECTIO TERTIA.
## DE LIBERTATE DEI.

1. *An ſi Deus neceſſariò ageret nihil contingenter eveniret.*

ANtequàm explicem hanc libertatem, operæ prætium erit, reſolvere ſequentem quæſtionem; an libertas divinæ potentię, ſeu voluntatis, ita ſit radix prima contingentiæ rerum creatarum, ut ſi divina potentia ageret ex neceſſitate naturæ, neceſſitatem inferret omni creatæ potentiæ; adeòque nihil eveniret contingenter, ſed omnia neceſſariò. Et quàmvis plerique, extra ſcholam Scoti, partem negativam amplectantur, equidem nos, tamquàm veri diſcipuli Doct. Subt. ejus veſtigiis inhærentes, dicimus, & erit

## CONCLUSIO I.

**Libertas Dei adeò neceſſaria eſt ad aliarum rerum contingentiam, ut ſi prorsùs tolleretur, nulla creatura ſimpliciter & omnimodè contingenter fieret.**

2. *Sententia affirmativa eſt Scoti, ſæpè. Primus locus.*

EST ſententia Scoti 1.diſt.2.qu.2.§. *Oſtenſo eſſe*, num.20.circa finem: *Ita tertiò arguitur ſic. Aliquid cauſatur contingenter: ergo prima cauſa contingenter cauſat; ergo volens cauſat. Probatio primæ Conſequentiæ: Qualibet cauſa ſecunda cauſat in quantùm movetur à prima: ergo ſi prima neceſſariò movet, qualibet alia neceſſariò movetur, & qualibet neceſſariò cauſat: ergo ſi aliqua cauſa ſecunda contingenter movet, & prima contingenter movebit: quia non cauſat ſecunda cauſa, niſi in virtute primæ cauſa, in quantùm movetur ab ipſa.*

3. *Secundus.*

Simili modo argumentatur Doct. eod.l.diſt. 8.q.5.§. *Iſtis rationibus*, n.19. dicens: *Secundò arguo ſic. Aliquid fit contingenter in entibus; ergo prima cauſa contingenter cauſat. Antecedens concedunt Philoſophi: Conſequentiam probo ſic. Si prima cauſa neceſſariò ſe habet ad cauſam proximam, ſit illa B. B igitur neceſſariò movetur à prima cauſa: B autem eodem modo, quo movetur à prima cauſa, movet proximam ſibi: igitur B. neceſſariò cauſat movendo C. & C. movendo D. & ſic in omnibus cauſis procedendo, nihil contingenter erit, ſi prima cauſa neceſſariò cauſat.*

*Tertius.* Eandem ſententiam tradit d.l.1.diſt.39.q.un.§. *Tertia poſitio*, n.12. *Nulla* (ait) *contingentia poteſt eſſe in cauſatione alicujus cauſæ, reſpectu ſui effectûs, niſi prima cauſa contingenter ſe habeat ad cauſam proximam ſibi, vel ad ſuum effectum.*

*Quod nunc probatur breviter ex hoc; quòd cauſa movens, in quantùm mota, ſi neceſſariò movet proximam ſibi, vel producit ſuum effectũ. Tota ergo ordinatio cauſarum uſque ad ultimum effectum, neceſſariò produceret, ſi habitudo primæ cauſæ ad ſibi proximam ſit neceſſaria.* 4. *Prima probatio.* *Præterea: cauſa prior priùs naturaliter ſimpliciter reſpicit effectum ſuum, quàm cauſa poſterior: ergo in illo priori, ſi habet neceſſariam habitudinem ad ipſum, dabit ſibi eſſe neceſſarium: in ſecundo autem inſtanti naturæ non poteſt cauſa propinqua dare ſibi eſſe contingens; quia jam præintelligitur habere à prima cauſa eſſe repugnans contingentiæ.* *Secunda.* *Nec poteſt dicere* (tertia poſitio) *quòd in eodem inſtanti iſtæ duæ cauſæ dant eſſe cauſato; quia ſuper illud eſſe non poſſet fundari neceſſaria habitudo ad illam cauſam perfectè dantem eſſe, & contingens habitudo ad aliquam aliam cauſam.*

Igitur Concluſio noſtra eſt ſententia Scoti, quam ſequitur, & ſic explicat Smiſ.tr.3.Diſp.2. n.47. Is (ait) non intendit aſſerere, quòd cauſa prima (per ſe ex ratione cauſæ primæ) priùs naturâ ſecundùm aliquam diſtinctam motionem moveat, quàm cauſa ſecunda, quandò ad aliquẽ effectum concurrunt; nam hoc alibi expreſſè negat (quidquid ſit de rei veritate) ut patet 2. diſt.37.q.un.(aliàs, 2.) §. *Ad ſolutionem iſtorum*, & alibi; ſed per prioritatem naturæ intelligit prioritatem dignitatis, & vult, Deum ob rationem cauſæ primæ, & omnipotentis, illaturum neceſſitatem omnibus effectibus cauſarum ſecundarum, ſi ageret ex neceſſitate naturæ. 5. *Exponitur hæc ſententia ex Smiſing.* *Scotus per prioritatem naturæ hic intelligit prioritatem dignitatis.*

Atq; hoc eam ob cauſam, quòd ex ratione quidem primæ fiat ut nihil poſſint agere cauſæ ſecundæ, niſi ipſo Deo influente: & hoc eſt, quod Scotus ait, cauſam ſecundam non poſſe movere, niſi motam à prima cauſa, id eſt, niſi adjutam à prima cauſa; & quòd ob neceſſitatẽ agendi, Deus influeret potentiſſimo influxu, ſeu quantũ poſſet: quòd denique ob rationem omnipotentiæ cauſam ſecundam poſſit determinare ad unum, & exercitium libertatis ejus impedire (etiamſi naturâ ſuâ, ſibiq; relicta, ſit libera in agendo) ut ſupponit Scotus 4.diſt.49.q.6.§. *Dico ergo*, cum communi Theologorum. Sic ergo, propter iſtã in cauſando eminentiam cauſæ primæ, & omnipotentis, quam vocat Scotus prioritatẽ naturalem in cauſando, rectè dixit Subt. Doctor, Deo agente ex neceſſitate naturæ, nihil in rebus eventurum contingenter. Hactenùs Theod. 6. *Quomodò cauſa ſecunda, niſi moveatur à prima, non moveat.*

Porrò ſecundùm hunc intellectum doctrinæ Scoticæ per ſe corruunt omnia, quæ contra illam communiter objiciuntur. Quorum primū eſt: quia ad contingentiam effectûs ſufficit, aliquam cauſam ad illum concurrere contingenter: ſed hoc fieret, etiamſi cauſa prima ageret ex neceſſitate naturæ: ergo, hoc non obſtante, aliqua evenirent contingenter. Major probatur: quia generatio hominis ab homine & ſole cauſata eſt libera contingens, propter libertatem hominis, quàmvis ſol agat ex neceſſitate naturæ. Idem eſt de actu libero procedente ab habitu agente per modum naturæ, & à potentia libera. Simile quid videtur in effectibus defectuoſis (quatenùs contingentia defectum aliquem importat) quòd à cauſa perfecta & imperfecta procedit effectus imperfectus; ut à potentia motiva & tibia clauda claudicatio; ex una præmiſſa neceſſaria & altera contingenti Concluſio contingens; ex una evidenti & altera probabili Concluſio probabilis.

7. *Objicitur 1. Ad contingentiam effectûs ſufficit ut una cauſa contingenter cauſet.*

*Probatur variis exemplis.*

8. *Quid requiratur, ut aliqua cauſa concurrat contingenter.*

Minor verò probatur: quia ut aliqua cauſa concurrat contingenter, non aliud requiritur, quàm ut habeat potentiam, vel naturâ ſuâ indifferentem ad agendum, & non agendum, vel ſaltem defectibilem, & impedibilem ab actione, & ut hæc potentia à ſuo connaturali modo agendi non divertatur per extraordinarium ſuperioris cauſæ concurſum, aut per novum ordinem cauſarum. At etiamſi prima cauſa ageret ex neceſſitate naturæ, equidem cauſa ſecunda haberet talem potentiam; ergo &c. Ita Adverſarii. Sed falluntur: nam, ut patet ex dictis, datâ iſtâ hypotheſi, id eſt, ſuppoſito, quòd cauſa prima ageret ex neceſſitate naturæ, cauſa ſecunda libera diverteretur à ſuo connaturali modo agendi per Dei concurſum, determinantem illam ad unum.

*Falluntur Adverſarii.*

9. *Non eſt ſimile in exemplis adductis.* Smiſing.

Nec eſt ſimile (inquit Smiſing ſup. num. 48.) in exemplis adductis: nam ſol non poteſt determinare liberum hominis arbitrium ad voluntatem generandi, nec habitus potentiam; cùm liberum arbitrium non eſſentialiter ſubordinetur ſoli, nec potentia ſubordinetur habitui; ſed habitus potentiæ. Eſtque idem de cauſa perfecta, & imperfecta, quarum neutra alteri ſic ſubordinatur, ut illam extrahat è naturali ſuo agendi modo; prout cauſa prima extraheret cauſam ſecundam datâ hypotheſi quæſtionis, & ſuppoſitâ primæ cauſæ omnipotentiâ & eſſentiali ſub ordinatione cauſarum ſecundarum ad illam, ut oſtenſum eſt. Sic ille.

10. *Secundum argumentum Adverſariorum.*

Hinc non valet ſecundum argumentum Adverſariorum cauſantiū, quòd ex ſententia Scoti ſequeretur, actum voluntatis noſtræ nunc non eſſe liberum, niſi quia Deus ad illum liberè concurrit: Conſequens eſt abſurdum. Conſequentia probatur: quia tota ratio, ob quam noſtræ voluntatis actus eſſet neceſſarius, Deo agente ex neceſſitate naturæ, dicitur eſſe, quia Deus ad illum neceſſariò concurreret: ergo etiam tota ratio, ob quam actus voluntatis noſtræ nunc ſit liber, eſt; quia Deus ad illum liberè concurrit. Hujus autem Conſequentis abſurditas patet: quia ſequitur, noſtram voluntatem non habere propriam libertatem; ſequitur item, appetitionem equi eſſe tam liberam, quàm noſtram; quia etiam ad appetitionem equi Deus liberè concurrit.

Hoc dico argumentum non valere. Patet ex ſtatim dictis in ſolutione primi argumenti. Non enim (ut benè notat Smiſing ſuprà num. 49.) noſtræ voluntatis actus nunc eſt liber adæquatè; quia Deus ad illum liberè concurrit; ſed etiam, quia proxima & particularis potentia, ad illum concurrens, eſt intrinſecè libera, & in exercitio à libertatis uſu non impedita, ſcilicèt Deo illam minimè determinante ad unum; quorum primum, ſcilicèt eſſe intrinſecè liberum, non competit appetitui ſenſitivo: ſecundum verò, ſcilicèt à Deo non determinari ad unum, non competeret appetitui rationali ſeu voluntati, ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ.

Ad Conſequentiæ probationem reſpondetur; Datâ hypotheſi, quòd Deus ageret ex neceſſitate naturæ, totam rationem, cur cauſa ſecunda ageret neceſſariò, non fore, quia Deus concurreret neceſſariò; ſed etiam, quia determinaret hujuſmodi neceſſario concurſu cauſam ſecundam ad unum, ut declaratum eſt. Unde nec modò tota ratio, ob quam cauſa ſecunda agit liberè, eſt, quòd Deus liberè concurrat; ſed quia ſic concurrit liberè, ut eam non determinet ad unum, prout eam poſſet liberè determinare, etiam per liberum conſenſum; ut patet in Beatis, quorum voluntatem ad amorem beatificum ſic determinat libero concurſu ex parte Dei. Hucuſque Smiſing.

Sic, inquam, determinat, ut, ſecundùm Aliquos, tollat ejus libertatem ſeu contingentiam: quamquàm oppoſitum non ſit improbabile apud Scotum 4. diſt. 49. qu. 6. num. 15. *Aliter poteſt dici, quòd contingentia voluntatis in ſuo ordine concludit contingentiam ſimpliciter effectûs; quia cujuſcumque eſt contingentia concludit contingentē effectum; & per conſequens, ſimpliciter contingens eſt, quòd non peccet* (Beatus) *tamen nunquàm eveniet; quia cauſa ſuperior ſemper præſervat. Sed dices: ſaltem in poteſtate voluntatis eſt, ut eveniat. Poſſet dici; quòd non ideò eſt minùs beata* (voluntas) *ſi in poteſtate ejus ſit, quòd eveniat, quod tamen nunquàm eveniet; & ideò nunquàm eveniet, quia voluntas divina ſemper præveniet.*

Et ibidem num. 11. ad idem propoſitum ſic inquit: *Patet, quòd beatus ſit impeccabilis in ſenſu compoſitionis; hoc eſt, non poteſt ſimul eſſe beatus, & peccare: ſed in ſenſu diviſionis, quòd manens beatus non habeat potentiam & poßibilitatem ad peccandum, poteſt intelligi dupliciter: vel per aliquid ſibi intrinſecum, quod excludit potentiam talem: vel per cauſam extrinſecam, quod excludit potentiam propinquam ab illo: verbi gratia, etſi habens viſum habeat potentiam intrinſecam videndi quodcumque corpus; tamen poteſt per aliquam cauſam extrinſecam fieri perpetuò impoßibilis ad videndum de potentia propinqua, utpote ſi illa cauſa faciat perpetuam diſtantiam viſûs ab illo corpore: ſicut ſi eſſet obſtacu-*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*obſtaculum perpetuum inter cælum empyreum, & oculum damnati, ille oculus non poſſet videre cælum empyreum, loquendo de potentia propinqua, & hoc per cauſam extrinſecam probibentem potentiam perpetuò: poſſet tamen videre potentiâ remotâ & intrinſecâ, ita quòd nulla eſſet cauſa intrinſeca impoßibilitatis.*

15. *Sic dico, quòd nulla eſt cauſa intrinſeca in voluntate Michaëlis nunc beati, per quam excludatur potentia ad peccandum pro aliàs, in ſenſu diviſionis, non eſt autem cauſa intrinſeca probibens iſtam potentiam omnino reduci ad actum: ſed per cauſam extrinſecam eſt impoßibilis potentia illa propinqua ad peccandum, videlicèt per voluntatem Dei prævenientem illam voluntatem, ut ſemper continuet actum fruendi, & ita nunquàm poßit potentiam ſuam remotam non fruendi, vel peccandi reducere ad actum: ſiquidem nunquàm cauſa ſecunda præventa à cauſa ſuperiori agente ad unum oppoſitum poteſt potentiâ propinquâ exire in aliud oppoſitum. Concedo ergo, quòd Michaël beatus, & ſit peccabilis in ſenſu diviſionis, loquendo de potentia remota.* Hucuſque Doct. Subt.

*Cauſa ſecunda præventa à prima determinante ad unum, non poteſt in oppoſitū.*

16. *Illatio.* Ergo ſecundùm hanc viam, dicet aliquis, quam ipſe putat probabilem, tametſi Deus neceſſariò ageret, voluntas nihilominùs contingenter ageret, id eſt, poſſet non agere in ſenſu diviſionis, loquendo de potentia remota. Cur enim determinatio voluntatis, datâ hypotheſi, quòd Deus neceſſariò ageret, potiùs tolleret potentiam remotam ad actum oppoſitũ, quàm modò eam tollit determinatio voluntatis ad actum beatificum? Si igitur potentia iſta remota ſufficit, ut ſit ſimpliciter contingens, quòd beatus non peccet; & per conſequens, ſimpliciter contingens actus beatificus; quidni etiam foret ſimpliciter contingens actus voluntatis, eſtò Deus ageret neceſſariò? Sic ille. Tu cogita, an benè.

17. Cæteroqui, non ſufficere, ad hoc, ut effectus ſit ſimpliciter contingens, contingentiã voluntatis, id eſt, potentiã remotam ad oppoſitum effectũ, indicat Scotus dicto num. 15. in principio, ubi reſpondet ad ſequens argumentum: Non minùs tollit indifferentiam voluntatis determinatio ejus à cauſa ſuperiori, quàm à cauſa inferiori; ergo ſi ex ratione cauſalitatis ſuæ eſt indeterminata ad operationem, ita repugnat naturæ ſuæ, quòd illa indifferentia tollatur per cauſam ſuperiorem, ſicut per inferiorem; ſicut ergo eſt contra naturam voluntatis, quòd habitus determinet eam neceſſariò, ita eſt, quòd Deus determinet.

*An ſufficiat ad contingentiam effectûs potentia remota ad oppoſitum.*

18. Ad hoc, inquam, argumentum reſpondet: *Quòd voluntas in ſuo ordine cauſandi hoc cauſet, hoc eſt proprium hujus cauſæ; quòd ulteriùs cum contingentia ex parte ejus ſit omnimoda contingentia ex parte effectûs, hoc requirit contingentiam omnium aliorum concurrentium ad effectum. Repugnat autem libertati ejus, quòd contingentia, quæ neceſſariò eſt ex parte ipſius, non ponat contingentiam ſimpliciter, quantùm eſt ex parte omnium inferiorum; quia tollit ipſam eſſe cauſam in ordine ſuperiori: ſed non repugnat ſibi, quòd contingentia ejus non ponat contingentiam ex parte effectûs ſimpliciter, quantùm eſt ex parte cauſæ ſuperioris: quia cauſa ſuperior non determinatur ab ipſa; non eſt ergo ſimpliciter contra naturam ejus, quòd determinetur à cauſa ſuperiori, hoc eſt, quòd non ſit contra naturam ejus, oppoſitum agere, ſicut eſſet contra naturam ejus, determinari ab habitu, ſive à natura inferiori.* Igitur, datâ hypotheſi, quòd Deus ageret ex neceſſitate naturæ, liquidò conſtat, ſecundùm hanc doctrinam Scoti, effectum voluntatis creatæ non fore ſimpliciter contingentem; quia Deus, qui concurrit ad effectum tamquàm cauſa ſuperior, & dignior, atque independens à voluntate, ſeu determinatione ejus, non haberet contingentiam in agendo; ſed ageret ad extremum potentiæ ſuæ, quæ, cùm ſit infinita, determinabit ipſam voluntatem ad unum; vel dicendum, quòd Deus non poſſit ſic eam determinare ſalvâ ejus naturâ.

*Non eſt cõtra naturã voluntatis determinari à cauſa ſuperiori; ſecùs à natura inferiori.*

Scotus.

*Concluſio.*

19. Audite Doct. Subt. 1. diſt. 8. q. 5. n. 20. *Omnis cauſa neceſſariò agens agit ſecundùm ultimum potentiæ ſuæ; quia ſicut non eſt in poteſtate ſua agere, & non agere; ita nec intensè & remiſſè agere: ergo ſi prima cauſa neceſſariò cauſat, cauſat quidquid cauſare poteſt.* Vel ergo non poteſt determinare voluntatem ad unum, vel ſi poteſt, eam determinabit. Atque adeò actio, quæ jam liberè egreditur à cauſa ſecunda, tunc egrederetur neceſſariò; nec voluntas ſe determinaret, ſed potiùs determinaretur à cauſa prima, non quaſi alia eſſet actio primæ, alia ſecundæ cauſæ; ſed quia (inquit Smiſ. ſup. n. 50.) eadem indiviſibilis actio utriuſque tunc non egrederetur à cauſa ſecunda cum indifferentia & libertate, prout modo egreditur, quandò prima cauſa ſecundam ſinit agere motus ſuos. Hæc ille:

*Cauſa neceſſariò agens, agit ad ultimũ potentiæ ſuæ.*

Scotus.

Smiſing.

20. Qui ibidem ſupponit, Scotum non velle, quòd prioritas naturæ, quâ ait, primam cauſam movere priùs, quàm ſecundam, eſſe prioritatem alicujus inſtantis, in quo priùs moveat diſtinctâ motione prima, quàm ſecunda; cùm (inquit) ex mente ipſius, ſolùm ſit prioritas dignitatis; non tamen qualiſcumque; ſed talis, ex qua (datâ hypotheſi quæſtionis) ſequatur cauſæ determinatio ad unum, quæ modò non ſequitur ex dignitate cauſæ primæ; quia licèt ratione illius dignitatis poſſit cauſam ſecundam determinare ad unum; tamen, ratione ſuæ libertatis non vult; ſed relinquit eam ſuo arbitrio, atque eâ ratione ſuum ei concurſum accommodat, ut eam à ſeipſa determinari permittat. Sic ille.

*Quomodò cauſa prima moveat ſecundam.*

21. Sed, ut verum fatear, hæc mens Scoti dubia eſt, ut patet per alibi dicta ex Felice, qui licèt admittat concurſum ſimultaneum; equidem aſſerit motionem antecedentem ex parte Dei, ſi non phyſicam, ſaltem moralem, & illam putat eſſe doctrinam Scoti: apud quem 1. diſt. 39. q. un. num. 12. lego ſequentia verba: *Cauſa prior priùs naturaliter ſimpliciter reſpicit effectum ſuum, quàm cauſa poſterior: ergo in illo priori, ſi habet neceſſariam habitudinem ad ipſum, dabit ſibi eſſe neceſſarium, in ſecundo autem inſtanti naturæ non poteſt cauſa propinqua dare ſibi eſſe contingens, quia*

*Felix aſſerit motionẽ antecedentem ex parte Dei.*

*Putat, eſſe ſententiam Scoti.*

*jam præintelligitur habere à prima cauſa eſſe repugnans contingentiæ; nec poteſt dicere, quòd in eodem inſtanti iſtæ duæ cauſæ dant eſſe cauſato; quia ſuper illud eſſe non poſſet fundari neceſſaria habitudo ad illam cauſam, perfectè dantem eſſe, & contingens habitudo ad aliquam aliam cauſam.* Utut ſit de hoc, parum refert ad præſentem difficultatem; quia non minùs per illum concurſum, ſeu motionem præviam, ſi foret neceſſaria, neceſſitaretur creatura, ſeu determinaretur voluntas ad unum, quàm per concurſum ſimultaneum, ut patet conſideranti ea, quæ jam dicta ſunt.

22. *An determinatio ad unum tollat omnem potentiam ad actum oppoſitum.*

Patet omnino, reponit quiſpiam; ſed nondum ſcio, quid ſit illa determinatio ad unum; an tollat omnem potentiam tam proximam, quàm remotam ad actum oppoſitum; an verò tantùm potentiam proximam; Reſpondetur: Illa determinatio ad unum, tolleret potentiam ad actum oppoſitum, eo modo in creatura, ſicut in Deo, datâ hypotheſi quæſtionis; id eſt, eadem foret neceſſitas noſtræ actionis, & actionis divinæ; cùm ſit una & indiviſibilis actio in noſtra ſententia; atque ut foret diſtincta, nulla tamen eſt ratio diſtinguendi illas neceſſitates. Si ergo determinatio ad unum in Deo tolleret omnem potentiam tam proximam, quàm remotam, quidni ſimiliter in creatura? Si autem in Deo non tolleret, neque in creatura.

23. *Quomodò in caſu propoſito Deus determinaret noſtram voluntatem ad unum.*

Igitur datâ hypotheſi, Deus determinaret voluntatem noſtram ad unum, ſicut, in communiori ſententia, determinat voluntatem Beati ad actum beatificum; qui licèt non ſit coactus aut violentus, ſed voluntarius, utpote procedens à voluntate cum perfecta cognitione finis, & circumſtantiarum; equidem abſolutè neceſſarius, utpote carens indifferentiâ ad utrumlibet. Et ideò, ſine libertate Dei in agendo ad extrà, nihil ſimpliciter & omnimodè contingenter fieret; ſed omnia ſimpliciter neceſſariò, id eſt, non liberè libertate indifferentiæ. Cùm ergo conſtet multa fieri contingenter & liberè in nobis, cur non etiam conſtet, Deum eſſe præditum liberâ voluntate? Tu cogita. Quid autem ſit illa libertas in Deo, ſive, quid ſit velle liberum Dei, quis nobis ediſſeret? Hoc opus hìc labor eſt, ut patebit ex Concluſ. ſequenti, quæ talis eſt:

## CONCLVSIO II.

**Velle liberum Dei eſt aliquid reale intrinſecum, ſcilicèt ipſa met volitio neceſſaria Dei, quatenùs ab ipſa egreditur aliqua denominatio, quæ poſſet non egredi.**

24. *Deus eſt præditus liberâ voluntate. Probatur ex variis Scripturis.*

FIde divinâ credimus, Deum eſſe præditum liberâ voluntate, juxta illud ad Epheſ. 1. v. 11. *In quo* (Chriſto) *etiam & nos forte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus* (Dei) *qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Id eſt (ut notat Smiſ. tr. 3. diſp. 3. num. 5.) ſecundùm conſilium ſibi beneplacitum, ſeu à voluntate acceptatum, eo loquendi modo, quo idem Apoſtolus ad Coloſſ. 1. v. 13. ait: *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ*, id eſt, Filii dilecti. Eandem veritatem tradit Apoſt. 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*, id eſt, pro libero voluntatis arbitrio. Et Rom. 9. v. 11. *Cùm enim nondum nati fuiſſent* (Eſau & Jacob) *aut aliquid boni egiſſent aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus &c.* Quis autem ignorat electionem ſupponere conſultationem ſeu conſilium; hoc verò non eſſe, niſi de iis, quæ aliter & aliter poſſunt fieri, ſeu, quæ quis aliter & aliter velle & facere poteſt? Cùm ergo dicat Apoſtolus, Deum omnia operari ſecundùm conſilium, & propoſitum Dei manere ſecundùm electionem, ſignificat, illum aliter & aliter velle & facere poſſe.

Sed enim, dicet aliquis; voluntas per conſilium neceſſitatur & determinatur ad unum. Sic enim quandò conſilium intellectûs ex duobus mediis alterum proponit, tamquàm utilius ad finem conſequendum, non poſſe voluntatem eligere id, quod minùs utile apparet, docent Nonnulli; & omnes ſentiunt, ſuppoſitâ efficaci volitione finis, neceſſitari voluntatem ad electionem medii, ſine quo finis haberi non poteſt, juxta dictamen & conſilium intellectûs: ergo ex eo, quòd quis velit, & operetur ex conſilio, non ſequitur ipſum liberè velle & operari. Reſpondetur ex Smiſ. ſup. n. 6. Etiamſi voluntas quoad ſpecificationem neceſſariò eligeret medium utilius, & conſequenter, etiam quoad exercitium, ſuppoſitâ efficaci volitione finis, illud neceſſariò eligeret; hæc neceſſitas non proveniret à conſilio intellectûs; ſed à natura voluntatis, quæ talis ſit, ut non poſſit eligere, niſi quod ad finem melius apparet, licèt propoſitio & applicatio objecti, ſub ratione melioris, eſſet conditio ſine qua non exiret in actum illa neceſſitas voluntatis.

Et idem eſt de electione medii neceſſarii, ſuppoſitâ efficaci intentione finis; non enim à cognitione medii, ſed à ſeipſa (ut ſic dicam) ſeu per intentionem finis neceſſitatur voluntas ad talis medii electionem. In utroque tamen exemplo prima determinatio voluntatis, quæ eſt ad intentionem finis, eſt libera; & proinde ſecunda determinatio, quæ eſt ad electionem medii, eſt etiam libera ſimpliciter, licèt ex ſuppoſitione prioris ſit neceſſaria. Itaque per intellectum propoſito fine, & mediis, voluntas habet id, quod requiritur ad exercitium ſuæ libertatis, nempe cognitionem deliberativam ſeu conſultivam, quâ poſitâ, voluntas nata eſt ſeſe determinare liberè ſimpliciter ad intentionem finis, & mediorum; licèt ex ſuppoſitione, & ſecundùm quid, neceſſariò à ſe determinata ſit ad quorumdam electionem mediorum. Igitur ex eo, quòd Deus omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, benè infertur, ipſum omnia agere ſimpliciter liberè, atque adeò

adeò eſſe præditum liberâ voluntate; nam per voluntatem operatur, juxta illud Pſal. 113. v. 3. *Omnia quæcumque voluit fecit*; ſcilicèt volendo, ſeu per ſuam voluntatem, ut patet ex alibi dictis. Licèt ergo, admiſſâ doctrinâ revelatâ, non poſſet quiſpiam de hac re dubitare; non tamen (inquit Smiſ. ſup. n. 5. in principio) eſt facile, veritatem de hoc puncto revelatam cum naturali ratione conciliare, nec minùs difficile, ex naturali ratione illam deducere; præſertim, ſuppoſitâ aliâ veritate fidei, ſcilicèt voluntatis divinæ immutabilitate.

*Difficile eſt probare libertatem Dei ex naturali ratione.*

27. Hinc præfatus Auctor n. 11. exiſtimat, divinam libertatem naturali ratione non poſſe demonſtrari. Nam (ut ait n. 8.) demonſtraretur per hoc, quòd liberum arbitrium ſit proprietas conſequens naturam intellectualem: Deus autem eſt natura intellectualis. Sed major hujus rationis non eſt per ſe nota, nec ſatìs ab aliquo demonſtrata à priori. A poſteriori autem, licèt ſatìs conſtet, hominem libero arbitrio præditum eſſe, atque hinc etiam idem de Angelica ſubſtantia colligatur; non poteſt hæc ratio à poſteriori ad Deum applicari. Ratio enim ea eſt, quòd experiamur humanæ voluntatis affectum pro libito mutari, eſſeque hominem capacem præcepti, præmii, & ſupplicii (quod non eſſet, niſi liberum voluntatis arbitrium haberet) quæ dicunt in homine imperfectionem; nempe, voluntatis mutabilitatem, & defectibilitatem à regula rectæ rationis, quæ legibus conſtringi, præmiis, & ſuppliciis propoſitis, ad bonum invitari, & à malo debeat deterreri, nec alterius, quàm hujus mutabilis & defectibilis libertatis experientiam atque documentum habemus: quomodò ergo per hanc rationem à poſteriori de omni ſubſtantia intellectuali concludere poterimus, eam præditam eſſe libero arbitrio, niſi mutabili & defectibili, quale noſtrum arbitrium eſt? Talis autem collectio falſa eſt, cùm conſtet, ſubſtantiam intellectualem increatam mutabile & defectibile arbitrium habere non poſſe.

*Nequit ex naturali ratione demonſtrari. Smiſing.*

*Ratio à poſteriori noſtræ libertatis.*

28. Unde ad concludendum de illa liberum arbitrium immutabile, & indefectibile, ſeu ad ejus libertatem cum immutabilitate, & indefectibilitate combinandam, nullum nobis ſignum ſufficit à poſteriori, quin potiùs noſtræ libertatis experientia ſuadet libertatem in Deo non eſſe. Sic ille. Aſt quid ita? interrogat aliquis: nunquid, teſte eod. Auctore, rectè dixit Subtiliſſimus Doctor, Deo agente ex neceſſitate naturæ, nihil in rebus eventurum contingenter? Si ergo à poſteriori demonſtrari poteſt creaturam rationalem agere contingenter & liberè, ſeu præditam eſſe libero arbitrio; quomodò hìc rectè dicitur, *Noſtra libertatis experientia ſuadet, libertatem in Deo non eſſe?* An ſuadet in Deo non eſſe, ſine quo ipſa non poteſt eſſe? Reſpondeo: Suadet in Deo non eſſe libertatem conjunctam immutabilitati, & indefectibilitati; quia talis non eſt in homine, cujus liberum arbitrium per ſe eſt mutabile, & defectibile. Cui non placet hæc reſponſio, quærat meliorem. Fateor ego lubens, difficillimum eſſe intelligere, quomodò libertas voluntatis poſſit conſiſtere abſque mutabilitate, ſeu cum immutabilitate; adeòque difficulter demonſtrari poſſe ratione naturali, quomodò ea ſit perfectio ſimpliciter, quæ Deo poſſit & verò debeat attribui, ut ſatìs colligitur ex alibi dictis de immutabilitate, & adhuc ex dicendis patebit. Id quod in pluribus contingit divinis miniſteriis, ut cùm indubitatam de illis, divinâ revelatione, fidem habeamus; rationem tamen eorum naturalem, ſaltem demonſtrativam, reddere non poſſimus. Captivandus intellectus in talibus.

*An dicta libertas ſuadeat in Deo non eſſe libertatem.*

*Suadet non eſſe libertatem conjunctam immutabilitati.*

*Difficile intelligitur libertas abſque mutabilitate.*

29. Nihilominùs oportet, aliquâ ratione illa duo, ſcilicèt libertatem Dei, & immutabilitatem, conciliare: Sed quæ illa? Reſpondere cogimur (inquit Theod. ſup. num. 11.) quòd capere non poſſumus vulgatum illud: divinæ voluntatis libertatem conſiſtere, non in indifferentia ad actum, & privationem actûs divini; ſed in indifferentia abſoluta ejuſdem actûs neceſſarii ad terminationem, & privationem terminationis, reſpectu actualis eſſe creaturæ: & dico in indifferentia abſoluta; quia ex ſuppoſitione, quòd ſemel divina voluntas ſic ſit ad eſſe actuale creaturæ terminata, non poteſt non ſic terminari. Sic ille. Eſtque hæc reſponſio Concluſio noſtra: pro cujus explicatione, & clariori intellectu ſuppono cum Felice de Volunt. Dei cap. 4. diffic. 1. num. 1. quòd in Deo duplex libertas reperitur: una in actu primo, & eſt ipſa potentia voluntatis in actu primo, in prioritate naturæ indifferens ad amandum, ſeu non amandum: altera eſt actualis & in actu ſecundo, & eſt actus divinæ voluntatis, ut actu terminatur ad hanc, vel illam creaturam, & potuit pro tunc non terminari ad hoc; ſed ad oppoſitum; vel poſitivè, ſi eſt libertas quoad ſpecificationem; vel negativè, ſi eſt libertas quoad exercitium: & de hac libertate in actu ſecundo eſt difficultas, quæ ita inſuperabilis eſt, ut dicat Molina 1. p. q. 14. a. 11. eſſe de numero earum, quæ ab humana mente in via non comprehenduntur. Hoc præſuppoſito,

*Conciliatur libertas Dei cum immutabilitate, ex Smiſing.*

*In Deo eſt duplex libertas, in actu primo, & in actu ſecundo.* Felix.

Molina.

30. Dico cum Scoto 1. diſt. 39. num. 15. in voluntate noſtra triplicem eſſe libertatem; ſcilicèt ad oppoſitos actus, ad oppoſita objecta, & ad oppoſitos effectus. Hæc ſunt verba Doct. Subt. *Quantùm ad primum* (putà, ad quæ ſit libertas voluntatis noſtræ) *dico, quòd voluntas, in quantùm eſt actus primus, libera eſt ad oppoſitos actus; libera etiam eſt, mediantibus illis actibus oppoſitis, ad oppoſita objecta, in quæ tendit, & ulteriùs ad oppoſitos effectus, quos producit. Prima libertas habet neceſſariò aliquam imperfectionem annexam; quia potentialitatem paſſivam voluntatis, & mutabilitatem. Tertia libertas non eſt prima; quia ſi per impoſſibile nihil efficeret extra* (id eſt, tametſi nihil poſſet efficere extrà) *adhuc in quantũ voluntas poſſet liberè tendere in objecta* (ſcilicèt per actus internos; ũde per efficere extrà intelligit actũ externũ) *Media autẽ ratio libertatis ipſa*

*In noſtra voluntate eſt triplex libertas, ad oppoſitos actus, objecta, effectus; ex Scoto.*

*ipſa eſt ſine imperfectione, imò neceſſaria ad perfectionem: quia omnis potentia perfecta poteſt tendere in omne illud, quod eſt natum eſſe objectum talis potentiæ: ergo voluntas perfecta poteſt tendere in omne illud, quod natum eſt eſſe volibile. Libertas igitur prima ſine imperfectione in quantùm eſt libertas, eſt ad oppoſita objecta, in quæ tendit, cui ut ſic accidit, ut oppoſitos effectus producat.*

31\. *Quæ libertas ex his competat Deo.*

Atque hanc libertatem Subt. Doctor ibid. n. 21. tribuit Deo, dicens: *Quantùm ad primum* (putà, ad quæ ſit libertas Dei) *dico, quòd voluntas divina non eſt indifferens ad diverſos actus nolendi, & volendi; quia hoc in voluntate mea non erat ſine imperfectione voluntatis. Voluntas enim noſtra erat libera ad oppoſitos actus ad hoc ut eſſet libera ad objecta oppoſita, & hoc propter limitationem utriuſque actûs reſpectu ſui objecti; ergo poſitâ illimitatione ejuſdem voluntatis ad diverſa objecta, non oportet propter libertatem ad oppoſita objecta ponere libertatem ad oppoſitos actus. Ipſa etiam voluntas divina libera eſt ad oppoſitos effectus: ſed hæc non eſt prima libertas, ſicut nec in nobis. Remanet ergo libertas illa, quæ eſt per ſe perfectionis, & ſine imperfectione, ſcilicèt ad objecta oppoſita; ita quòd ſicut voluntas noſtra poteſt diverſis volitionibus tendere in diverſa volibilia: ita illa voluntas poteſt unicâ volitione ſimplici illimitatâ tendere in quæcumque volibilia; ita quòd, ſi voluntas illa, vel illa volitio, eſſet tantùm unius volibilis, & non poſſet eſſe oppoſiti, quod tamen eſt de ſe volibile, hoc eſſet imperfectionis in voluntate.* Ubi Doct. videtur tenere noſtram ſententiam, videlicèt libertatem Dei nihil aliud eſſe, quàm ipſam volitionem neceſſariam, quatenùs potuit ab æterno terminari ad objectum oppoſitum illi, ad quod jam terminatur.

*Competit libertas ad oppoſitos effectus, & oppoſita objecta.*

32\. *Voluntas noſtra eſt productiva, operativa, & receptiva.*

*Et licèt* (proſequitur Scotus) *in nobis poſſet diſtingui voluntas, ut eſt receptiva, & ut eſt operativa, & ut productiva; ipſa enim eſt productiva actuum, & ipſa eſt, quâ habens operatur formaliter volendo, & ipſa eſt receptiva volitionis ſuæ: tamen libertas videtur eſſe ejus, in quantùm eſt operativa, in quantùm ſcilicèt habens eam formaliter poteſt eâ tendere in objectum.* Sed nunquid eadem ratio voluntatis divinæ? Audi quid dicat Scotus. *Ita igitur ponitur libertas in voluntate divina per ſe & primò, in quantùm eſt potentia operativa, licèt ipſa non ſit receptiva* (nam eſſet potentialis) *nec productiva volitionis ſuæ* (nam eſſet mutabilis) *& tamen poteſt ſalvari in ea aliqua libertas in quantùm productiva eſt. Licèt enim productio in eſſe exiſtentiæ non concomitetur neceſſariò operationem ejus; quia operatio eſt in æternitate, & productio in eſſe exiſtentiæ eſt in tempore: tamen operationem ejus neceſſariò concomitatur productio in eſſe volito: & tunc non poteſt potentia illa voluntatis divinæ primò quidem eſſe ut productiva, ſed ſecundùm quid, ſcilicèt in eſſe volito, & iſta productio concomitatur eam ut operativa.* Ita Scotus. Ubi quod dicit, voluntatem noſtram eſſe liberam, quà operativa, intelligit Cavellus in Scholio præfixo iſti numero, formaliter, quia, inquit, effectivè libera eſt, quà productiva. Dices: Scotus de hac voluntate ait, ut audivimus ſup. *Si per impoſſibile nihil efficeret extrà, adhuc in quantùm voluntas poſſet liberè tendere in objecta.* Ergo hic intellectus Cavelli non ſubſiſtit. Reſpondet Felix ſup. nu. 2. quòd Scotus intelligit (ut ſup. inſinuavi) per *Efficere extrà*, effectus, quos diſtinguit ab actibus elicitis voluntatis. Notetur *In quantùm voluntas &c.* nam conceptus libertatis voluntatis in communi eſt, poſſe tendere, vel non in objectum: voluntas creata tendit in objectum per actum productum, & hæc eſt imperfectio (ut patet ex dictis) voluntas divina, quia infinita, tendit per actum improductum, & ſic optimè ſtat, quod ait Scotus, quòd libertas voluntatis ſtat, in quantùm eſt operativa. Fateor verba Scoti ſubtilia, ſed difficilia. Ita Franciſcus;

*Non eſt eadem ratio voluntatis divinæ.*

*Quomodò voluntas noſtra libera quà operativa.*

Cavellus.

Felix.

Qui ibidem n. 12. (rejectis priùs Aliorum ſententiis) docet noſtram Concluſ. dicens: velle liberum Dei, ut liberum, eſſe aliquid reale in Deo intrinſecum; nempe actum neceſſarium, quo ſeipſum diligit, quo, nullo ſuperaddito, liberè diligit creaturas. Non nego (inquit ille) quòd, futuro producto vel volito, reſultet in voluntate Dei reſpectus rationis, à quo nos imperfectè cognoſcentes denominemus Deum volentem; ſed nego, talem reſpectum eſſe conſtitutivum libertatis Dei actualis. Sic ille. Qui pro eadem ſententia citat Theod. tr. 2. diſp. 3. num. 23. ubi tradit veram divinæ libertatis, & immutabilitatis conciliationem ſub hac forma verborum: Tandem verò in hac re difficillima, & humano ingenio ad plenum inexplicabili nihil aliud dicendum occurrit, quàm actum liberum divinæ voluntatis eſſe ipſum actum neceſſarium, quo Deus primariò diligit ſeipſum, quatenùs ille actus adjunctam habet liberam terminationem ſeu tendentiam ad creaturam actualem: quæ terminatio, cùm non addat voluntati divinæ formam aliam; quia additio novæ formæ, eſt per cauſalitatem formalem, terminari autem non eſt cauſari; fit, ut hujuſmodi libera terminatio, quæ potuit adeſſe, & abeſſe, nullam in Deo ſupponat mutabilitatem ſubjectivam, quæ reſpicit actum formalem. Ita Smiſ.

Porrò hanc viam explicandi dictam concordiam indicavit (inquit ille) Scotus 1. diſt. 39. q. un. aliàs. 5. §. *Iuxta prædicta*, n. 15. ubi ait: *Voluntas divina* &c. Vide ſup. & paulò poſt verba ibi recitata: *Voluntas divina* (inquit Scotus n. 22.) *in quantùm ipſa eſt ſub volitione, eſt prior naturaliter tendentiâ tali* (ſcilicèt liberâ) *& ita tendit in illud objectum contingenter, quòd in eodem inſtanti poſſit tendere in oppoſitum objectum, & hoc tam de potentia logica; quæ eſt non repugnantia terminorum, quàm de potentia naturali, quæ prior eſt naturali actu ſuo.* Item diſt. 45. q. un. §. *Ad argumenta*, n. 3. *Reſpondeo ſicut dictum eſt priùs diſt. 30. de relationibus ex tempore, quòd terminantur ad Deum ſub ratione merè abſoluta, & ſimili modo de ideis, diſt. 33. & ſimili modo de omnipotentia, diſt. 43. quæ eſt merè abſoluta, ſecundùm quod eſt attributum divinum: & ſic terminat relationem creaturæ poſſibilis ad Deum. Ita dico, quòd voluntas divina ſub ratione merè abſoluta, terminat*

*reſpectum voliti ad ipſam, quod quidem voluntas divina producit in eſſe volito, & in æternitate: ſicut intellectus producit in eſſe cognito vel intellecto. Et ſimili modo dicendum de eſſe voliti, ſicut dictum eſt de eſſe cogniti diſt. 36.*

*Voluntas divina non eſt libera ad oppoſitos actus.*

35. His Scotus (inquit Smiſ. ſup.) omnia complexus eſt, quæ vel hactenùs contra alias ſententias dicta ſunt, vel pro vera ſententia dici poſſunt. Primò enim docet; quod contra Cajetanum aſſeruimus, divinam voluntatem non eſſe liberam ad oppoſitos actus, eò quòd hoc foret imperfectionis; ſicut in nobis, qui mutamur ab actu ad actum; ſicut à privatione ad actum, aut ab actu ad privationem. Secundò docet; quod contra Aureolum ſtatuimus, libertatem divinã non conſiſtere primò in libera productione rerum ſecundùm eſſe exiſtentiæ; ſicut nec in nobis libertas primò conſiſtit in libera productione rerum ſecundùm eſſe exiſtentiæ: quod probat illâ ratione ſuperiùs contra Aureolum adductâ; nempe, quia productio rerũ ſecundùm eſſe exiſtentiæ eſt in tempore, libera autem volitio Dei eſt in Deo ab æterno. Tertiò ſignificat contra primam ſententiam; volitionem liberam non conſtitui reſpectu rationis ad volitum; quia ait, per ipſam volitionem liberam produci res in quodam eſſe volito, ita ut reſpectus rationis voliti & volentis ſit poſterior volitione liberâ, reſultans vel immediatè ex volitione abſoluta, vel per alium actum comparativum, quo Deus ſuam volitionem cum volito comparat, ut docet diſt. 45. citatâ, & antè docuerat in ſimili de reſpectu cognoſcentis, & cogniti. Quartò docet; libertatem divinæ voluntatis conſiſtere in libera tendentia, ſeu terminatione ipſius volitionis neceſſariæ ad eſſe actuale creaturæ. Hucuſque Theod.

*Libertas divina non eſt primò in liberâ productione rerum.*

*Volitio libera Dei non conſtituitur reſpectu rationis ad volitum.*

*Conſiſtit libertas Dei in libera tendentia.*

*Quomodò id intelligatur, explicatur 1.*

36. Quomodò autem hoc poſſit intelligi (proſequitur idem Auctor) explicat primò; tradendo fundamentum, ob quod idem actus divinæ volitionis ad neceſſariũ neceſſariò, ad contingens contingenter ſeu liberè poſſit terminari; nempe, quia eſt actus infinitus, & illimitatus, non menſuratus, aut ſpecificatus ab aliquo objecto, ſicuti volitio creata ob ſuam limitationem, & ſpecificationem ab aliquo determinato objecto, in alia objecta tendere non poteſt; & ideò, ut poſſit noſtra voluntas tendere in diverſa objecta, vel tendere, & non tendere, opùs eſt, ut habeat potentiam ad diverſos actus, vel ad actum, & privationem actûs. Secundò; notando (quod alibi probaverat) relationes non terminari terminis relativis, ſed abſolutis; ideòque intelligi poſſe, quòd volitio neceſſaria Dei terminet relationem creaturæ ad ipſam, abſque eo, quòd Deo adveniat aliquis verus reſpectus ad creaturam; terminet, inquam, ſecundùm ſuum eſſe abſolutum, ratione ſuæ infinitatis æquipollens variis actibus, & reſpectibus creatæ voluntatis ad ſua objecta. Tertiò; addendo, liberam illam divinæ voluntatis terminationem & tendentiam à nobis accipi poſſe per modum æternæ productionis rerum in eſſe volito, & quaſi emanationis, ſecundùm illud eſſe; donec ex vi talis volitionis, & juxta tẽmpus per eam præfinitum res tandem emergant ad eſſe exiſtentiæ.

*Secundò.*

*Tertiò.*

Quod à ſimili (licèt in pluribus diſſimili) ex noſtra voluntate declarari poteſt, ſuppoſito, quòd ipſa mediante actu producat in ſe habitum: nam cum voluntas, ex intentione augendi in ſe habitum temperantiæ v. g. continuat, & ſenſim intendit affectum temperantiæ, quamdiu intenſio affectûs non pervenit ad eum gradum, ut poſſit intendere habitum præexiſtentem, nondum producetur habitûs augmentum in eſſe exiſtentiæ; poteſt tamen dici, propter continuam intentionem operantis, jam produci in eſſe volito, donec operatio perveniat ad illum ſtatum, ut etiam ad eſſe exiſtentiæ emergat habitûs augmentum. Simili igitur modo intelligi poteſt illa libera terminatio voluntatis divinæ, quaſi quædam productio rerum in eſſe volito, donec juxta modum à Dei voluntate præordinatum illa terminatio ad eum ſtatum perveniat, ut ita dicam, quòd ex vi illius res volitæ prodeant in eſſe actuali ſeu exiſtentiæ. Uſqueadhuc Smiſing, cujus doctrina, utpote verè Scotica, nobis placet, & ideò latiùs eam retulimus. 37.

*Libera terminatio divina voluntatis declaratur à ſimili.*

Smiſing.

Breviter ex Felice ſup. n. 14. ſic probatur Concluſ. Volitio Dei, non ſolùm in eſſe entis, ſed etiam in genere volitionis, eſt ſimpliciter infinita: ergo ex ſe, nullo ſuperaddito, eſt ſufficiens attingere omne volibile, juxta ſuam exigentiam, Deum neceſſariò, creaturas liberè. Conſequentia probatur: Ideò voluntas creata, medio reſpectu & tendentiâ, attingit objectum; quia finita eſt, & non inconvenit, ut ad objectum dicat relationem realem: ſed implicat, ut volitio Dei dicat relationem realem ad aliquod creatum; aliàs ab illo creato dependeret: ergo, ſecluſo quocũque, attingit omnia volibilia. Neq; enim poteſt eſſe reſpectus rationis; nam à parte rei Deus eſt liberè volens, & cauſa realis productiva creaturarum: ergo nequit conſtitui talis aliquo rationis; à nobis autem imperfectè concipientibus concipitur ut aliquid additum, & relativum ad futura, non tamen ita eſt: ſicut omnipotentia à nobis concipitur, & explicatur ut relativum, & tamen in ſe abſolutũ eſt. Et confirmatur: Voluntas Dei eſt indifferens ad volendum exiſtentiã futuri, vel non; ſed non determinatur ab alio talis indifferentia: ergo à ſe: ergo talis determinatio actualis, quæ eſt actus liber Dei, eſt aliquid intrinſecum Dei; & conſequenter, actus, quo ſe diligit, qui, ut ad futura terminatur, eſt liber. Ita præfatus Auctor. 38.

*Probatur Concluſ. noſtra ex Felice.*

*Confirmatur.*

Huic etiam doctrinæ adhæret Joannes Ponc. in ſuo Curſu Theol. diſp. 6. n. 9. dicens: Volitio libera Dei, eſt ipſamet volitio neceſſaria ipſius, quatenùs ab ipſa egreditur aliqua denominatio, quæ poſſet ab ipſa non provenire. Probatur; quia nihil impedit, quò minùs denominatio aliqua non neceſſaria poſſit provenire à volitione neceſſaria; & eo ipſo, quo proveniret, illa volitio neceſſaria poſſet vocari libera, ut ab ipſa egrederetur talis denominatio: nam per 39.

*Volitio Dei libera, eſt ipſamet volitio neceſſaria ſub certa quadam conſideratione.*

Poncius.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

volitionem liberam non intelligimus niſi volitionem, ut dantem denominationem, quam poſſet non dare; ergo à volitione Dei neceſſaria poteſt provenire aliqua denominatio libera, & ipſa, ut ab ipſa talis denominatio oritur, erit volitio libera.

*Quomodò denominatio libera poſſit provenire ab ente neceſſario, idque creato.*

Probatur Antecedens quoad primam partem, in qua ſola poteſt eſſe difficultas: quia ipſamet volitio libera creata, & omnis denominatio ab ipſa proveniens oritur ab ipſa voluntate creata pro inſtanti, pro quo poſſet eſſe voluntas ſine eo, quòd illa exiret ab ipſa; & etiamſi voluntas creata eſſet entitas ſummè neceſſaria quoad entitatem ſuam (ſicut reverà eſt neceſſaria, ex ſuppoſitione ſuæ productionis) adhuc illa volitio libera poſſet ab ipſa prodire liberè, ſicut de factò prodit: ergo entitas libera, ac denominatio libera poteſt prodire ab entitate neceſſaria. Ita Poncius.

40. *Major eſt ratio de ente increato.*

Si ab entitate neceſſaria creata, quantò magìs ab entitate neceſſaria increata, quæ, utpote infinita, eſt virtualiter libera (juxta eundem Auctorem n. 11.) hoc eſt, æquivalens formæ liberæ, quantùm ad dandam denominationem liberam. Et hinc, tametſi volitio divina ſit cauſa formalis totalis hujus denominationis; equidem poteſt ineſſe Deo, quin tribuat illam; veluti ſi formaliter eſſet libera, poſſet ineſſe, & non tribuere. Sic quippe ipſa actio libera creata habet exiſtere in inſtanti, in quo producitur ab ipſa voluntate abſque aliquo alio ſuperaddito, per quod produceretur, quàmvis poſſet voluntas cum omnibus prærequiſitis ad actionem illam exiſtere ſine eo, quòd daret ipſi exiſtentiam: ergo volitio divinina neceſſaria formaliter, ſed virtualiter libera, poſſet tribuere denominationē aliquam pro aliquo inſtanti, quàmvis poſſet exiſtere in illo inſtanti, quin daret illam denominationem: ſiquidem unum non videtur magìs difficile, quàm alterū.

*Objectio.*

Dices: Diſparitas eſt: quòd in illo inſtanti, quo voluntas daret eſſe, exiſtit ipſa actio, quæ non exiſteret, quandò non daret ipſi eſſe; atque adeò dat eſſe ipſi actioni per ipſammet actionē: at verò in caſu denominationis, provenientis ab ipſa volitione neceſſaria Dei, nihil exiſtit, à quo eſſet illa denominatio, quod non exiſteret, quandò non eſſet denominatio.

*Solvitur à Poncio.*

Contrà (inquit Poncius ſup. n.10.) quia quæritur hìc de denominatione, à qua fit, ut actio exiſtat; nec eſt aliquid, à quo proveniat illa denominatio, quod non poſſet eſſe, quandò non proveniret; nihil eſt enim præter actionem, & voluntatem; voluntas autem poſſet exiſtere, quin eſſet actio, & ipſamet actio non habet à ſeipſo exiſtere, quin poſſet non exiſtere. Sic ille; tu cogita, an rectè. Ego pergo ad alias objectiones, tam ex auctoritate Scoti, quàm ratione deſumptas.

41. *Objicitur prætereà ex Scoto 1.*

Primò igitur objicitur, quod ait Scotus 1. diſt. 35. §. *Ad argumenta*, n. 16. *Concedo, quòd in Deo poteſt eſſe relatio intelligentis, vel prout hoc, quòd eſt intelligens, terminat relationem intellecti; ſicut Dominum eſſe, eſt appellatio relativa, & ſignificat terminare relationem ſervi: vel prout intelligens dicit relationem rationis poſitivæ; ſed tunc non eſt hoc in primo inſtanti, nec in ſecundo, ſed in tertio.* Sed idem dicendum eſt de volitione, ut patet ex antè dictis: ergo tali reſpectu conſtituitur decretum ſeu velle liberum Dei. Reſp. Felix ſup. n.15. ſolùm Scotum docere; quòd ſi datur talis relatio, eſt in tertio inſtanti, producto jam effectu per intellectionem in ſecundo inſtanti, ut ibidem notat n. 15. dicens: *In ſecundo inſtanti producit lapidem in eſſe intellecto, ita quòd terminus iſte eſt & habet reſpectum ad intellectionem divinam: nullus autem eſt reſpectus è converſo in intellectu divino; quia reſpectus ejus non eſt mutuus.* Quid clarius? Ergo nec intellectio, nec volitio reſpectu conſtituuntur; quia ſupponuntur conſtituta in ſecundo inſtanti.

Objicitur ſecundò ex Scoto 4. diſt. 13. q. 1. §. *Ad argumenta*, n. 20. *Productio divina, quâ Deus producit aliquid ad extrà, non eſt abſolutum in eo, ſecundùm Omnes: quia ſecundùm nihil abſolutum in ſe reſpicit creaturam: ergo neceſſe eſt, Omnes dicere, illam productionem, quâ dicitur Deus producens, eſſe reſpectum*, intellige rationis, ut ipſe ſe explicat n. 18. ibi: *Ad extrà autem productio actio eſt relatio rationis.* Sed idem dicendum eſt de volitione circa creaturas: ergo reſpectu rationis conſtituitur. Reſp. Felix ſup. n. 16. quòd talis relatio rationis non eſt forma conſtituens Deum creatorem; ſed forma, quam nos fingimus, ut Deus denominetur creator. Nā, ut ipſe Doctor docet 1. diſt. 30. §. *Reſpondeo*, n. 12. *Solâ relatione novâ, quæ eſt in creatura ad ipſum, ipſe denominatur Dominus; non quidem, quòd in creaturis ſint duæ relationes oppoſitæ, quarum alterâ ipſe denominetur; ſed una tantùm, quæ eſt ad ipſum, ut ad abſolutum, & propter hoc, quòd ſic abſolutum eſt terminus illius relationis, denominatur quaſi eſſet in eo nova relatio correſpondens quemadmodùm opus factum ab homine dicitur humanum, non propter aliquid humanitatis, quod ſit formaliter in opere; ſed propter humanitatem, quæ eſt formaliter in homine, ad quem opus habet habitudinem. Et hæc videtur intentio Mag. expreſſè in littera concludentis ex verbis Aug. ait enim ſic:* Appellatio, quâ creatura dicitur relativè ad creatorem, relativa eſt, & relationem notat, quæ eſt in ipſa creatura. Appellatio verò illa, quâ creator relativè dicitur ad creaturam, relativa quidem eſt; ſed nullam notat relationem, quæ ſit in creatore. *Et hoc idem videtur Aug. dicere 5. de Trinit. c. 16. ſecundùm quod Mag. adducit eum: quòd temporaliter dici incipit Deus, quod anteà non dicebatur, manifeſtum eſt relativè dici; non tamen ſecundùm accidens Dei, quod ei aliquid acciderit; ſed planè ſecundùm accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relativè.*

Sed quidquid ſit de hoc (proſequitur Felix ſup.) diſcrimen eſt inter creationem, & decretū Dei. Nam, ut docuit Scotus in 4. cit. n. 23. *Creare ſignificat relationem paſſionis, & connotat actum eſſentialem divinum intrinſecum, non tantùm abſolutè; ſed ut tranſit ſuper objectum extrà: Deum autem velle creaturam eſſe, principaliter dicit actum divinum, licèt connotet tranſitum ejus ſuper objectum. Modò non ſequitur; quod principaliter dicit relationem, eſt relatio: ergo illud, quod quaſi fundamentaliter connotat relationem, eſt relatio. Vnde in forma arguendi eſt figura dictionis; quia mutatur ad aliquid* (id eſt, relatio) *in ad ſe* (id eſt abſolutum) *ſicut ſi argueretur ſic: ſimilem eſſe, eſt referri; ſed album eſſe,*

*eſſe, eſt ſimilem eſſe: ergo album eſſe, eſt referri, nihil valet.* Ratio mihi eſt (inquit Felix) nam volitio libera eſt ab æterno, & relatio rationis non eſt ab æterno; neque eſt intellectus creatus potens illam efficere; neque fit à Deo; nam ſecundùm plures, Deus non efficit entia rationis. Sic ille. Sed, dicet aliquis: ſecundùm te Deus efficit entia rationis, etiam aliter concipiendo rem, quàm à parte rei eſt, ut vidimus ſuo loco; quomodò ergo hæc poteſt tibi eſſe ratio? Quare Deus non potuit ab æterno hoc ens rationis efficere? Licèt ergo hæc poſſit eſſe ratio iis, qui docent, Deum non efficere entia rationis, aliter concipiendo rem, quàm à parte rei eſt, tibi tamen non videtur poſſe eſſe. Hinc Smiſing ſup. utitur benè hâc ratione, dicens: Non poteſt relatio rationis formaliter pertinere ad libertatem divinæ volitionis; quia libera volitio eſt ab æterno in Deo; ab æterno autem non fuit intellectus, qui fingeret in divina volitione quaſi verum reſpectum & realem ad creaturas: non enim creatus intellectus, qui ſolùm fuit ex tempore; nec divinus, qui non fingit, ſed omnia intelligit, ſicut verè & à parte rei ſe habent. Sic ille. Et ſi dicas: Deus citra fictionem potuit comparare ſuam volitionem cum objecto volito, ex qua comparatione reſultat relatio rationis: Reſpondet: Comparatio illa ſupponit, voluntatem jam eſſe terminatam liberè ad objectum; ut ſic enim comparat eam cum objecto: ergo liberam terminationem non conſtituit. Ita Theod. & meritò, ibique n. 13. clarè oſtendit, libertatem divini actûs non conſtitui per relationem rationis fundamentaliter. Videatur.

*Ratio, ob quam relatio rationis non pertineat formaliter ad decretum Dei. Felix.*

*Smiſing.*

*Objectio.*

*Solutio.*

44\. Aſt nunquid connotatione conſtituitur? Ait quippe Scotus mox citatus, velle Dei connotare tranſitum ſuper objectum, ibi: *Licèt connotet tranſitum ejus ſuper objectum.* Reſpondet Felix ſup. nequaquàm hoc velle Scotum; ſed ſolùm explicare objectum actûs liberi Dei; nam (inquit) cùm volitio Dei terminetur ad ſe, & hoc neceſſariò; ut explicet, quandò terminetur liberè, ait, hoc fieri, quandò tranſit ſuper creaturam, non quòd talis tranſitus ſeu tendentia conſtituat actum liberum; nam quælibet volitio, ſive libera, ſive neceſſaria, dicit tendentiam ſeu tranſitum ad objectum; & tamen volitio non conſtituitur in eſſe libero, vel neceſſario per tendentiam; nam tendentia non poteſt non eſſe poſitâ volitione. Hæc ille. Igitur Scotus non opponitur nobis. Nunquid recta ratio? Non autumo, & juſtè, ut patebit ex ſolutione eorum, quæ ex ratione objiciuntur. Primum ſit: Volitio Dei habet ex ſe, quòd ſit libera, ſecluſo quocumque alio, ut nos dicimus; ergo cùm liberum poſſit non eſſe, aliqua perfectio eſt in Deo, quæ poteſt deficere, quod conſtat eſſe falſum: ergo ne hoc dicamus, aliquid addendum eſt volitioni Dei; nam ſi nihil additur, non erit ratio, quare magìs velit hoc futurum, quàm illud; nam *idem manens idem ſemper natum eſt facere idem*, ex Ariſt. 2. de Gener. text. 56. Reſpondet Franciſ. ſup. n. 17. negando, aliquam perfectionem Dei poſſe non eſſe: nam (inquit) volitio libera Dei non potuit non eſſe, quantùm ad realitatem, quam dicit; benè tamen quantùm ad denominationem; nam objectum, nempe futurum, potuit non eſſe, & variato objecto, licèt maneat eadem volitio propter ſuam infinitatem variatur denominatio.

*An Scotus doceat, decretum Dei conſtitui connotatione.*

*Oſtenditur ex Felice, quòd non.*

*Prima objectio Adverſarioru ex ratione.*

*Ariſtot.*

*Solutio Felicis.*

Eſt aptiſſimum, exemplum Scoti 2. diſt. 1. q. 2. §. *Quantùm ad iſtum articulum*, num. 7. ibi: *Ad primum argumentum principale dico, quòd cauſa poteſt primò & immediatè aliquem effectum novum producere abſque omni novitate in ipſa. Quod patet per exemplum, ſi ponatur ſol ſemper eſſe in ſe æquè luminoſus, & creetur aliquod medium perſpicuum approximatum, de novo illuminabit illud, ita quòd nihil novum erit in ſole ad hoc, quòd ab ipſo ſit nova illuminatio: & ſi poſſet ex ſe ponere medium perſpicuum, & ſub lumine, ſicut cauſat in ipſo lumen, ita poneret in eſſe hoc totum, ſcilicèt medium illuminatum ſine aliqua novitate in ſe-ipſo.* Et ſi dicas: hoc non poſſet, ſi eſſet agens naturale, & uniformiter ſe habens; quia tunc ſemper uniformiter produceret; igitur exemplum non valet ad oppoſitum oſtendendum. Reſpondet Scotus: *Verum eſt, quòd iſtud exemplum quoad hoc valuit, quòd non oportet propter novitatem effectûs ponere novitatem in cauſa: tamen non valuit quoad hoc, quòd effectus poſſit eſſe novus à cauſa naturaliter agente, & totali: quia tale agens ſemper uniformiter ageret, ſi tale eſſet reſpectu effectûs; agens autem liberum poteſt eâdem volitione antiquâ effectum novum producere pro tunc, pro quandò vult effectum novum eſſe. Non enim eſt neceſſe, ſi ſempiternaliter vult, & non poteſt de novo velle; igitur vult pro ſempiterno: ſicut non eſt neceſſarium in me, quòd ſi nunc volo aliquid, quòd pro nunc velim illud; ſed poſſum illud velle eſſe pro cras; & eâdem volitione ſtante, ſine omni mutatione à parte voluntatis meæ, poſſum illud novum cauſare cras, pro quo volo illud.* Igitur ſicut ſol ſine ſui mutatione, ſi ponatur ante ipſum corpus, illud illuminabit, & denominabitur de novo illuminans, non ab aliquo de novo in ipſo, ſed à corpore de novo illuminato, ut termino; ſic indidem Deus ſine ſui mutatione dicitur hoc velle & non illud, non ab aliquo de novo in ipſo; ſed ab objecto volito ſeu futuro, ut termino.

45\. *Cauſa poteſt producere effectum novũ abſque ſui novitate. Declaratur exemplo, ex Scoto.*

*Objectio.*

*Solvitur à Scoto.*

*Aliud ſempiternaliter velle, aliud pro ſempiterno.*

Nec obſtat propoſitio Ariſtotelis; quia, ut dicit Scotus ſup. num. 9. Philoſophus intelligit de agente naturali, ſicut patet per eum ibi; non de Deo, qui, propter eminentiam & infinitatem, eodem modo manens comparatur diverſo modo ad creaturas, diverſitate ſe tenente, ut dictum eſt, ex parte creaturarum, non verò ex parte Dei. Addo (inquit Felix ſup.) quòd, *Idem in quantùm idem &c.* intelligendum eſt de cauſa formali, & de effectu adæquato; non verò de effectu inadequato: nam eadem forma invariata manens poteſt tribuere diverſos effectus formales inadæquatos. Pro cujus meliori intelligentia, Nota ex eod. Auctore ſup. n. 13. actum divinæ volitionis conſiderari à nobis, ut eſt forma quædam, quæ ſecundùm totam

46\. *Reſponſio ad aliquam propoſitionẽ Ariſtotelis.*

*Qualiter volitio divina poſſit*

*tendere in unum objectum neceſſariò, in aliud liberè.*

totam ſuam realitatem eſt in Deo, & non neceſſariò tribuit quaſi adæquatum effectum formalem, quem poteſt tribuere in ordine ad objecta creata; ſed eſt in poteſtate Dei habentis talem volitionem tendere, vel non tendere in talia objecta: quemadmodùm Chriſtus Dominus, ſecundùm Aliquos, habuit viſionem Dei ſummam, quâ pro ſua libertate modò tendebat in hæc objecta creata, modò in illa invariatâ viſione, ſolùm poſitâ novâ attingentiâ, in qua formaliter non conſiſtit intelligere. Vel, ut Alii dicunt, ſicut Chriſtus Dominus eodem actu charitatis diligebat neceſſariò Deum clarè viſum, & liberè creaturas in Verbo; & eâdem ſpecie impreſſâ Angelus modò videt hæc objecta, modò illa. Sed quidquid ſit (inquit Felix) de formis creatis, divina volitio, cùm ſit purus actus, & ſimpliciter infinita, eminentiſſimo modo conſtituit Deum formaliter volentem unumquodque objectum, ſecundùm ſuam naturam, Deum neceſſariò, creaturas liberè. Sic ille.

47. *Inſtantia.*

Inſtat aliquis: Deus antequàm vellet futurum, habebat actum ſuum, & tamen tunc non volebat futurum: ergo ſi poſteà voluit, aliquid volebat de novo, per quod liberè illud cauſaret.

*Reſp. Scoti.*

Reſpondet Scotus ſup. n. 8. *Quòd in illo inſtanti, in quo cauſat, adhuc cauſat ut priùs naturaliter ipsâ cauſatione, & ut ſic nihil intelligitur niſi abſolutum, à quo ponitur ipſum cauſatum in eſſe: & ideò nihil poteſt accipi cum hoc cauſa hujus, quod eſt cauſari, niſi illud ſit prius, nec reſpectu hujus inſtantis, nec alterius. Fallit autem imaginatio, quia ſemper videtur, quòd cauſa ſit indeterminata uſque ad illud inſtans, quandò cauſa: & tunc, quòd aliqua relatio, determinans ipſam ad effectum, primò requiratur à parte ejus, quod falſum eſt. Illud enim idem abſolutum, quod in cauſa præceſſit, tam naturâ, quàm duratione, ipſum effectum productum vel cauſatum, eſt etiam in ea in illo inſtanti priùs naturaliter, quàm cauſet: & ſecundùm illud abſolutum, ſecundùm quod priùs fuit cauſativum, eſt nunc cauſans, & non ſecundùm aliquid additum, neque abſolutum, neque reſpectivum.*

*Cauſa per ſuam entitatem ſine ſuperveniente determinativo eſt cauſans.*

48.

Unde eod. n. circa principium ſic ait: *Ad abſolutum in cauſa, immediatè ſequitur abſolutum in effectu: & in effectu primò conſequitur reſpectus ad cauſam, & tunc ſi aliquis eſt reſpectus cauſæ ad effectum, ille reſpectus ad effectum, eſt ultimus, & aliquandò nullus. Cum igitur dicis; quòd, quia cauſa dat eſſe, ideò effectus recipit eſſe, & non è contrario; dico, quòd ſi intendas per ly,* Quia, *reduplicationem relationis in cauſa, vel aliquam realitatem novam in cauſa, ſive relativam, ſive abſolutam, propoſitio eſt falſa: ſi autem intelligas reduplicare actum primum cauſæ, qui præcedit naturaliter cauſatum, illo modo propoſitio eſt vera; abſolutum enim in cauſa præcedit naturaliter cauſatum.* Et num. 9. ad idem propoſitum ſic ait: *Cauſa æquè determinata ad producendum aliquod productum, quantùm eſt ex parte ſui, poteſt quandoque producere & quandoque non producere: quia ſicut in naturalibus, cauſam determinari ex parte ſui, eſt ipſam habere formam, quâ cauſet: ita in liberis, cauſam eſſe determinatam, eſt ipſam habere volitionem reſpectu volibilis: & ſicut ibi forma haberi poteſt, antequàm effectus cauſetur, ſi tunc eſt impedimentum extrà, vel abſentia paſſi; ita quoque hìc poteſt volitio haberi, antequàm volibile habeatur, & priùs naturâ, & duratione.* Hæc omnia ſubtiliter Doct. Subt.

*Ad abſolutum in cauſa immediatè ſequitur abſolutum in effectu.* Scotus.

*Quid ſit cauſam eſſe determinatam ex parte ſui, ex Scoto.*

Ex quibus (inquit Felix ſup. num. 18.) conſtat, volitionem liberam Dei, nec cauſatione, nec reſpectu rationis conſtitui; nam reſpectus ſolùm denominat. Cæterùm, videtur mihi, poſſe hìc meritò applicari, quod Aug. lib. de Grat. Chriſti cap. 47. dixit de concordia liberi arbitrii cum gratia efficaci Dei: *Iſta quæſtio, ubi de libero voluntatis arbitrio, & de Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quandò defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quandò autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Conſimiliter dico ego: Iſta quæſtio, ubi de libertate voluntatis divinæ, & ejus immutabilitate diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quandò defenditur libertas, negari Dei immutabilitas videatur: quandò autem aſſeritur immutabilitas, libertas putetur auferri. Utrumque tamen verum eſt, id eſt, Deus eſt immutabilis, & liber; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent. *Quomodò attrahit* (Deus Pater ad Filium homines per ſuam gratiam efficacem) *ſi dimittit* (eos in libero arbitrio, hoc eſt) *ut quis, quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent,* inquit Auguſt. lib. 2. cont. Litt. Petil. cap. 84. Ego lubens agnoſco inſcitiam meam, & dico, me non eſſe de illis paucis, qui hæc myſteria valent intellectu penetrare; & ideò malo diſcere, quàm dicere, ne audeam docere, quod neſcio.

Sed nunquid ex illis paucis ſunt, qui affirmant, volitionem Dei virtualiter eſſe liberam, id eſt, ita ſe habere, quandò non tendit in aliquod objectum, acſi reverà non eſſet? Vel hi, qui libertatem Dei conſtituunt in extrinſeca denominatione ab aliquo effectu ad extrà? Aut certè dicunt, conſiſtere in actu neceſſario, prout connotat decretum? Noli putare. Sunt etiam, qui requirunt cauſalitatem intentionalem illius eſſe voliti; & qui aſſerunt, ipſam creaturam dare libertatem volitioni divinæ; ſed nec iſti ſunt de numero paucorum, qui hoc myſterium penetrare valent; quod latiùs poſſem oſtendere, ſi res ita poſtularet; at ſuperſedeo, quia ſatiùs puto, in hoc negotio captivare mentem in obſequium fidei, quàm ea velle comprehendere, quæ Deus voluit eſſe incomprehenſibilia. Hoc dico cum Smiſ. tract. 3. diſp. 3. num. 12. poſſe Deum ex duobus bonis inæqualibus velle, quod eſt minus bonum, & ex duobus æqualibus, uno relicto, poſſe alterum velle, ſi ſermo ſit de velle, & non velle quoad terminationem divini actûs. Et licèt alia à ſe velit propter divinam bonitatē, & eodem actu, quo vult illam; diverſâ tamen ejuſdem actûs terminatione, neceſſariâ ſcilicèt

ad

ad objectum neceſſarium, putà bonitatem divinam; liberá autem ſeu contingenti ad objectum liberum & contingens, quale eſt res creata. Nec obſtat connexio unius voliti cum alio;

*Occurritur objectioni.*

quia non eſt connexio neceſſaria in eſſe entis, cùm alterum non ſit neceſſe eſſe; ergo nec in ratione voliti neceſſariam connexionem habent. Itaque tametſi divinæ voluntatis actus non poſſit non eſſe; poteſt tamen non terminari ad creaturam actualem.

51. *Terminatio actûs non eſt terminatum præciſè.*

Neque benè dixeris: Terminatio non eſt aliud, quàm ipſe actus terminatus; ergo ſi hic neceſſarius; etiam illa. Nam reſpondet Smiſ. ſup. terminationem non eſſe terminatum præciſè, licèt ei non addat aliquam formam abſolutam, aut propriè reſpectivam; ſed eſſe terminatum cum termini connotatione; adeòque aut liberam ſeu contingentem, prout terminus contingens eſt; aut neceſſariam pro termini neceſſitate, etiamſi terminatum ſit eas abſolutè neceſſe eſſe. Proinde terminatio eſt libera, non ratione actûs præciſè, nec ratione termini præciſè; ſed ratione utriuſque. Hæc enim terminatio (inquit Smiſing) eſt quaſi quædam cauſalitas, & cauſalitas ſumit rationem partim à termino, partim à cauſa: nam quia cauſa eſt talis, ut poſſit producere effectum non habentem neceſſariò eſſe; hinc cauſalitas contingens eſt: atque ita, licèt efficienter ſeu principiativè terminus ſumat contingentiam à cauſalitate; terminativè tamen cauſalitas ſumit rationem contingentiæ à termino. Sic ille.

52. *Terminatio non eſt propriè cauſalitas.*

Nota autem, quòd dicat: *Terminatio eſt quaſi quadam cauſalitas*; quia reverà non eſt propriè cauſalitas, quæ eſt actio Dei ad extrà; ſiquidem ab æterno fuit terminatio: nam Deus elegit nos liberè ante mundi conſtitutionem, dicente Apoſtolo ad Epheſ. 1. v. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Electio autem eſt actus liber. Jam verò ab æterno non fuit actio Dei ad extrà, ſeu propriè dicta cauſalitas: ergo per eam non conſtituitur liberũ decretum Dei; quàmvis id Aliqui perperàm aſſerant: quibus non putamus annumerandum Theodorum noſtrum, qui nimìs explicitè docet noſtram Concluſ. tametſi proteſtetur, eam magìs credi, quàm explicari poſſe à nobis. Credamus ergo cum ipſo, divinæ voluntatis actum, quàmvis non poſſit non eſſe, poſſe tamen non terminari ad creaturam actualem; adeòque & liberum eſſe, & immutabilem. Sed nunquid, interrogat quiſpiam, divina voluntas ita libera eſt, ut priùs decernat unum, quàm alterum? Reſponſio erit

*An volũtas Dei priùs decernat unum quàm alterum.*

## CONCLVSIO III.

**Inter decreta divina non eſt prioritas in quo, & durationis; ſed à quo, & ſuppoſitionis, ac præexigentiæ naturalis unius ad aliud.**

53. *Datur aliquis ordo inter decreta divina.* Ocham. Felix.

COmmunis & vera ſententia admittit aliquem ordinem inter decreta divina, quidquid reclamare videatur Ocham cum Aliquibus aliis, quos citat Felix ſup. diff. 3. num. 1. Sed fortè (inquit hic Auctor) ſolùm volunt, eſſe unam volitionem in Deo impartibilem, & unum decretum non eſſe cauſam alterius, quod verum eſt: ſi verò abolere volunt omnem ordinem inter decreta, falſum, & contra omnes Theologos; nam licèt inter divina decreta non ſit prioritas in quo, & durationis; nam omnia ſunt ab æterno; eſt tamen prioritas à quo, & ſuppoſitionis, & præexigentiæ naturalis unius ad aliud. Sic ille; ubi in terminis tenet noſtram Concluſ. citatq; pro ea Scotũ 3. diſt. 7. q. 3. ubi quærens; an Verbum divinum fuiſſet incarnatum, licèt Adam non peccaſſe, §. *Sed hic ſunt*, n. 3. ſic ait: *Sine præjudicio dici poteſt, quòd cùm prædeſtinatio cujuſcumque ad gloriam præcedat ex parte objecti naturaliter præſcientiam peccati, vel damnationis cujuſcumque, ſecundùm opinionem ultimam dictam diſt. 41. primi libri: multò magìs eſt verum de prædeſtinatione illius animæ, quæ prædeſtinabatur ad ſummam gloriam: univerſaliter autem ordinatè volens, priùs videtur velle hoc, quod eſt fini propinquius; & ita, ſicut priùs vult gloriam alicui, quam gratiam; ita etiam inter prædeſtinatos, quibus vult gloriam ordinatè, priùs videtur velle gloriam illi, quem vult eſſe proximum fini; & ita huic animæ Chriſti vult gloriam priùs, quàm alicui alteri velit gloriam* &c. Item diſt. 19. q. un. § *In iſta quæſtione* n. 6. *Incarnatio* (inquit) *Chriſti non fuit occaſionaliter prævìſa; ſed ſicut finis immediatè videbatur à Deo ab æterno, ita Chriſtus in natura humana, cùm ſit propinquior fini, cæteris priùs prædeſtinabatur, loquendo de his, quæ prædeſtinantur. Tunc iſte fuit ordo in præviſione divina: primò enim Deus intellexit ſe ſub ratione ſummi boni; in ſecundo ſigno intellexit omnes alias creaturas; in tertio prædeſtinavit hos ad gloriam, & gratiam* &c.

Scotus.

*Ordinatè volens priùs vult propinquiora fini, quàm remotiora.*

*Incarnatio Chriſti non fuit occaſionaliter præviſa.* Scotus.

54. *Inter decreta divina eſt prioritas à quo. Quid ſit illa:* Smiſing.

Sed de hoc ordine plura, ubi de Prædeſtinatione; hìc ſolùm quæritur, quis ſit iſte ordo, ſeu quæ ſit illa prioritas, & poſteritas in decretis divinis? Reſp. autem Concluſio: non eſſe prioritatem in quo, ſed à quo, quæ nihil aliud importat teſte Smiſ. tr. 3. Diſp. 3 n. 28. quàm dependentiam actûs volendi, quatenùs terminati ad unum objectum, à ſeipſo, quatenùs terminato ad alterum objectum; ſeu, ut formaliùs loquamur, dependentiam unius terminationis ab altera largè loquendo de dependentia. Igitur hic ordo non eſt inſtantium ſeu ſignorum in quibus; ſed à quibus. Neque hæc inſtantia

*Hæc inſtantia à quibus in divinis non negant Nominales.* Smiſing.

à quibus in divinis (proſequitur Theod.) negant Nominales, cùm expreſſè admittant, Patrem divinum eſſe origine priorem Filio, & utrumque origine priorem Spiritu Sancto; ſed nolunt vocare inſtantia, in quibus unum ordinatorum ſit, & non alterum, quem loquendi modum in Scoto reprehendunt. Et eundē Subtilem Doctorem Alii arguunt, quòd ordinem inter divina decreta, ordinemq́ue inter proceſſiones divinas naturæ ordinem appellaverit. Sed (ait Smiſ.) utrique Scotum immeritò reprehendunt: Nominales quidem; quia ſic loquimur ſicut concipimus; modò autē non poſſumus concipere prius & poſterius, niſi ad ſimilitudinem prioris, & poſterioris in tempore, quod eſt prius, & poſterius in quo; & ideò prius à quo ſæpè vocamus in quo, licèt ſciamus & explicemus non eſſe in quo; quemadmodùm ſpiritualia ad modum corporalium concipimus, & illa corporalium rerū nominibus ſæpè exprimimus, licèt corporalia non eſſe ſciamus. Et ita omnes Scolaſtici paſſim loquuntur, ut dicant, in uno ſigno rationis Deum velle hoc, in alio aliud; in uno generari Filium divinum, in altero ſpirari Spiritum S. quia non eſt ita aptus modus loquēdi, dicere, ab uno ſigno Deum velle unum, ab alio aliud, ab uno ſigno generari Filium, ab altero ſpirari Spiritum S. & Scotus cum de his agit in materia de Trinitate, ſatìs explicat, non eſſe ſigna in quibus propriè & ſecundùm durationem. Hactenùs Theod.

*Immeritò reprehenditur hìc Scotus.*

*In uno ſigno rationis Deus vult hoc, & in alio aliud.*

55. *Duo intelligi poſſunt ordines in divinis, naturæ, & originis.* Scotus.

Videatur Scotus 1. diſt. 12. q. 1. & 2. Item 2. diſt. 2. q. 1. & Quodl. 3. 4. 8. 14. nimìs longum eſſet omnia hìc exſcribere. Sufficiet, quod ait 1, loc. cit. n. 13. *Dico, quòd duo ordines poſſunt intelligi in divinis, ſcilicèt ordo naturæ, & ordo originis, qui ſunt alterius rationis, & in quocumq; in gradu unius ordinis. poteſt totus alius ordo aſſignari. Exemplum in creatura, ubi eſt ordo naturæ, ordo originis, & ordo durationis qui ſunt alterius, & alterius rationis.* Ecce expreſſè diſtinguit ordinem naturæ & originis ab ordine durationis. Nec ſolus Scotus admiſit ordinem naturæ in divinis; ſed etiam Doct. Ang. l. 1. p. q. 42. a. 3. quàmvis eum confundat cum ordine originis, dicens in corp. *In divinis dicitur principium ſecundùm originem abſque prioritate. Vnde oportet ibi eſſe ordinem ſecundùm originem abſque prioritate. Et hic vocatur ordo naturæ, ſecundùm Aug. non quo alter ſit priùs altero, ſed quo alter eſt ex altero.* Rogas S. Tho. cur ille ordo inter perſonas divinas dicatur ordo naturæ: Reſp. ibidem ad 3. *Quòd ordo naturæ dicitur, non quòd ipſa natura ordinetur; ſed quòd ordo in divinis perſonis attenditur ſecundùm naturalem originem.* Quòd ſi inter perſonas divinas datur ordo naturæ, quidni etiam inter eſſentiam, & attributa; itemq; inter hoc, & illud decretum abſq; prioritate, & poſterioritate durationis ſeu in tempore? Non video, quid obſtet, ſi benè intelligatur.

*Iſtum admiſit D. Thomas, ſed indiſtinctū ab illo.*

56. *Quid hìc ſit ordo naturæ.*

Enimverò per ordinem naturæ non intelligitur ordo cauſalitatis; ſiquidem in divinis nihil datur cauſatum: ſed naturalis (id eſt, in natura rei fundata) præexigentia ſeu ſuppoſitio unius divinæ rationis ad alteram, quæ poteſt dici (ait Felix ſup. n. 2.) prioritas naturæ in ſenſu Ariſt. cap. de modis prioris &c. in quo appellavit prius naturâ id, à quo per locum intrinſecum non valet ſubſiſtendi conſequentia, & reperitur inter rationes, quæ realiter identificantur, ut inter prædicata ſuperiora, & inferiora ejuſdem individui: & cùm hæc ſecundùm Scotum diſtinguātur ex natura rei formaliter, appellat ordinē realem: cùm autem S. Tho. ſolùm per rationem illa diſtinguat, vocat hunc ordinem naturæ, ordinem rationis. Ita præfatus Auctor. Eandemq; differentiam inter Scotum, & D. Tho. notavit Smiſ. ſup. dicens: Quamquàm in hoc differant, quòd D. Thom. inter rationes ſic ordinatas in Deo ſolā diſtinctionem rationis agnoſcat; Scotus verò quaſdā rationes, nempe attributales, & notionales, inter ſe, & ab eſſentia ex natura rei formaliter diſtinguat, ut ſuo loco tractatum eſt. Addit idem Auctor: Quo tamen modo divinæ voluntatis decreta non diſtinguit (eſtq́ue idem de actibus ſcientiæ divinæ) ſed ſolùm in diverſa terminatione ejuſdem volitionis conſtituit. Nec enim ſecundùm illum, diſtinctio illa, quam vocat ex natura rei formalem, ſumitur ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco; terminatio autem ejuſque diſtinctio ab extrinſeco, nempe à termino deſumitur. Vocat autem ſubinde ordinem inter varias terminationes divini decreti, ordinem naturæ; non quia ſit inter diſtincta ex natura rei; ſed quia in natura rei fundatur; quod fundamentum eſt ordo terminorum: & ideò erit

## CONCLVSIO IV.

### Ordo decretorum divinorum deſumitur ex terminis, prout objiciuntur divinæ voluntati.

ORdinem divinorum decretorum deſumi ex ordine terminorum, ſeu objectorum, fatentur omnes Theologi; attamen diſputant inter ſe, qualiter id ſit intelligendum. Quidam ſic explicant, ut ſumatur ex ordine, quem objecta inter ſe habent naturâ ſuâ, ita ut Deus dicatur velle unum priùs, quàm aliud; quia unum ſuâpte naturâ eſt propter aliud, vel ad aliud. Et ita (inquit Smiſ. ſup. n. 29.) videtur hunc ordinē divinorum decretorum explicare Cajetanus 3. parte q. 1. a. 3. ubi ex eo, quòd natura videatur ſupponi gratiæ, & gratia unioni hypoſtaticæ Verbi cum natura humana, tres ordines aſſignat divinæ præſcientiæ, & providentiæ; primum naturæ (ſub natura comprehendens peccatum, etiam Adæ) ſecundum gratiæ, tertium unionis hypoſtaticæ: atque ita ait, Deum priùs præordinaſſe (ſub quo permiſſio peccati comprehenditur) quæ ad ordinem naturæ, quàm quæ ad ordinem gratiæ; & priùs quæ ad ordinem gratiæ, quàm quæ ad ordinē unionis hypoſtaticæ pertinent; & ſic docet, ordinatam eſſe Verbi divini Incarnationem poſt prævisum Adæ lapſum. Ita Theod. refert ſententiam Cajetani. Sed nunquid eam approbat? Patebit ex ſequentibus.

Felix

Felix ſup. ipſam rejicit, Primò, tamquàm in-
58. *Rejicitur 1. Felix.* ſufficientẽ: nam (inquit) non explicat, quo pacto ordinentur res, & decreta cujuſcumq; ordinis. Secundò, ut falſam, Primò; quia ſunt plura in ordine naturæ, quæ nec ordinem, nec connexionem habent cum gratia prædeſtinati, v.g. quòd Petrus ſit albus, vel niger; quot aves ſint in aëre, quæ impertinentia ſunt ad ordinem gratiæ. *Secundò.* Secundò; mors prædeſtinati pertinet ad ordinem naturæ, & eſt poſterior electione ad gloriam, quæ eſt in ordine gratiæ; nam eſt effectus prædeſtinationis, juxta illud Sap. 4. v. 11. *Raptus eſt, ne malitia* &c. *Tertiò.* Tertiò; peccatum crucifigentium Chriſtum Dominum pertinet ad ordinem naturæ, & priùs fuit decretum Incarnationis; aliàs Judæi non habuiſſent gratiam per Chriſtum ad evitandum tale peccatum. *Quartò.* Quartò; ex meritis Chriſti prævíſis decrevit Deus hominibus conferre gratiam, præſertim eam, quæ poſt peccatũ Adæ hominibus collata eſt; ergo decretũ Incarnationis præcedit decretum dandi gratiam, & non econtrà, ut aiebat Cajet. Denique Cajet. ſibi contradicit; nam ait, ordinem gratiæ eſſe priorem unione hypoſtaticâ, & in ſolutione ad 11. & 3. parte q. 24. a. 4. docet, prædeſtinationem Chriſti eſſe cauſam noſtræ prędeſtinationis, quæ debet eſſe prior, quàm gratia, quæ eſt effectus. Huc-uſque Franciſ.

59. *Altera opinio, quam Smiſ. tribuit Scoto.* Pergo ad ſecundam ſententiam, quæ dicit, ordinem inter divina decreta ſumendum eſſe ex perfectione objectorũ, ita ut priùs Deus decreverit rem magìs perfectã, & poſteà minùs perfectam. Hanc Smiſ. ſup. tribuit Scoto, dicens: Scotus quoque ex natura objectorum aſſignat ordinẽ divinæ præſcientiæ, & providentiæ; non tamen ex naturali dependentia unius objecti ab alio, ut Cajet. ſed ex naturali dignitate, & propinquitate mediorum cum fine; ita ut, decreto omnium primò fine, priùs decreta ſint media naturali dignitate fini propinquiora; poſteriùs verò media remotiora; ac tandem permiſſum ſit peccatum occaſionaliter reducibile ad ordinem mediorum; & conſequenter, ſcientiâ viſionis primò omnium præſcitus ſit finis, tum ſuo ordine media propinquiora, ac tandem peccatum. *Allegantur loca Scoti.* Ita Theod. allegat primò duo loca Scoti Concluſ. præcedenti citata (quæ ibi poteris videre) in quibus docet (inquit ille) prædeſtinationem Chriſti, & aliorum electorum ad gloriam & gratiam anteceſſiſſe permiſſionẽ, prævíſionemque peccati; & inter alios prædeſtinatos priùs prædeſtinatum eſſe Chriſtum, tamquàm digniorem, & fini propinquiorẽ. Et 1. diſt. 41. q. un. §. *Poteſt aliter dici*, ait: Deum priùs velle creaturæ beatificabili beatitudinem, tamquã finem, quàm velit illi gratiam, & alia media, occaſioneſve ad eum finem; & priùs prædeſtinare quoſdã, quàm alios reprobet poſitivè. Ita Smiſ. *Referuntur ejus verba.* Hæc ſunt verba Scoti loco mox cit. n. 11. *Volens ordinatè finem, & ea, quæ ſunt ad finem, priùs vult finem, quàm aliquod entiũ ad finem, quia propter finem alia vult: ergo cùm in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectũ finem, finis ultimus ſit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid iſtius ordinis, priùs vult huic creaturæ beatificabili finem, & quaſi poſteriùs vult ſibi alia, quæ ſunt in ordine illorũ, quæ pertinent ad illum finem: ſed gratia, fides, merita, & bonus uſus liberi arbitrii, omnia ad illum finem ſunt ordinata, licèt quædam remotiùs, & quædam propinquiùs; ergo &c.*

Sed hic modus dicendi (inquit Felix ſup. n. 4) 60. *Hic modus dicendi non placet Felici, ſi abſolutè accipiatur.*
ſi abſolutè accipiatur, nec eſt Scoti, nec eſt verus: nam Scotus citatus ſolùm explicat ordinem intentionis, ſervandum in electione mediorum, quandò plura ſunt reſpectu alicujus finis; non verò explicat ordinẽ executionis; licèt certũ ſit apud Scotum, & Alios, debere eſſe contrarium ordini intentionis, juxta illud: *Quæ ſunt priora in intentione, ſunt poſteriora in executione.* Nec eſt verus: nam ex eo ſequeretur, priùs Deum neceſſariò voluiſſe creare leonem, quàm formicã, quod ſine fundamento dicitur; de quo tr. de Prædeſt. c. 4. diff. 5. n. 9. Sic ille. Verùm enimverò dicto n. 9. nihil aliud dicit, quàm probabile eſſe, fuiſſe ordinem prioritatis inter ipſos prædeſtinatos propter excellentiam aliquorum. Sed quid hoc ad creationẽ leonis, & formicæ? Prætereà, hìc non tantùm loquimur de ordine executionis; ſed maximè de ordine intentionis; & quęrimus, quid Deus priùs intendat. Mihi probatur (inquit Theod. ſup. n. 30.) ſententia Aliorum; ordinem *Sententia Aliorum, quam approbat Smiſ.* divinorum decretorum non ſumere ordinem ex objectis abſolutè & ſecundùm naturã ſuam ſpectatis; ſed ex ipſis, prout objiciuntur divinæ voluntati. Quod probant evidenter exempla n. 19. in quarta dubitandi ratione propoſita; ex quibus conſtat, ſæpè aliquod medium eſſe à divina voluntate ordinatum ad finem, ad quem naturâ ſuâ (ſive ſecundùm cauſalitatem, ſive ſecundùm dignitatem) ordinem non habet.

Et quàmvis divina voluntas, in quibuſdã re- 61. *Ordo objectorũ pendet à libertate Dei.*
bus diſcernendis, earum inter ſe naturalem ordinem ſervet; non eſt hoc neceſſitatis, ſed libertatis divinæ; adeòque ex ea pendet ordo objectorũ inter ſe: &, ſi ab illis viciſſim ſumatur ordo divinorum decretorum, non ſumitur ab illis abſolutè, & ſecundùm naturam ſuam ſpectatis, ſed ut divinæ ſubſunt voluntati: neque Auctores in contrariũ allegati fortè aliud dicere voluerunt. Ita præfatus Auctor. Rogat aliquis: ecquæ iſta exempla? Auſculta, referã ea verbis ipſius Smiſ. *Probatur ex diverſis exemplis.* loco ſup. cit. ſcilicet n. 19. Deus (inquit) inſtituit ſigna ſenſibilia, tamquã media ad juſtificationẽ peccatoris, & ad gratiæ augmentum, ad quem finem naturâ ſuâ nullum ordinẽ habent. Similiter permittit electos labi in peccata ſubinde gravia, ut inde humilientur, & cautiores ac ferventiores fiant, inter quod bonum, & peccati permiſſionem nullus eſt ordo ex natura rei; ſed potiùs permiſſio peccati ad ſolum culpæ malũ reſpicit naturâ ſuâ. Item voluit divini Verbi Incarnationem propter redemptionem generis humani, ad quam illa ex natura ſua non ordinatur. Denique, ut alia innumera prætermittã, voluit tam in veteri, quàm in nova Lege variis ſibi ceremoniis ſerviri, quæ à natura ad Dei cultum non ſunt determinata: nam ex natura rei perinde eſt, an tale animal v.g. vel aliud, in ſacrificiũ offeratur; an nudus panis, & nudum vinũ; an accidentia panis, & vini, quatenùs continent

corpus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

corpus,& ſanguinem Chriſti, holocauſtum ſint novæ legis. Hactenùs Smiſing.

62. *Idem docet Felix.* Ipſum ſequitur Felix ſup.n.5.dicens;ordinem prioris, & poſterioris in decretis Dei non eſſe ſumendũ ex objectis ſecundùm naturam ſuam ſpectatis ; ſed prout divinæ voluntati objiciuntur,prout nobis ex Scriptura revelatur. Probatur (inquit) *Probat 1.* nam actus voluntatis Dei eſt cauſa ordinis creaturarum inter ſe,& ipſum Deum,& creaturas,&prima cauſa:ergo ordo creaturarum non poteſt eſſe cauſa actûs Dei; nam eſſet circulus. *Secundò.* Rurſus:ſæpè Deus ordinat,ut medium ad finem conſequendum , quod non habet talem ordinem,ut ſigna ſenſibilia ad cauſandum gratiam in Sacramentis,&c. Sic ille. *Objectio.* Sed enim,quæret aliquis:nunquid circulus ille vitioſus? Quomodò ergo ibidem admittis,quòd ab effectu,& quandò oppoſitum nobis non conſtat ex Scriptura,vel Patribus &c. poſſimus colligere ordinẽ in decretis Dei ex natura objectorum, quæ ſe habent ut medium,& finis? Si ſemel eſt circulus vitioſus,cur non ſemper ? Etenim omnis ordo creaturarum eſt ipſemet quid creatum,& actus divinæ voluntatis eſt cauſa omnis entis creati. Igitur illud argumentum , ſi aliquid probat, id erit, nunquàm colligi poſſe ordinem in decretis Dei; colligi,inquam,poſſe ex natura objectorũ. *Solvitur.* Reſpondetur : Aliud eſt, colligere ordinem ex decretis Dei ex natura objectorum; aliud,naturam objectorum eſſe veram & neceſſariam cauſam iſtius ordinis. *Felix.* Solùm dico(inquit Felix)hoc non inducere neceſſitatem : nam ex voluntate Dei ſolùm hoc dependet: nihilominùs ſæpè Deus aſſumit media,quæ ex natura ſua ordinãtur ad finem proportionatum:nam hic eſt ſuavis modus operandi. *Smiſing.* Ita Franciſ. Smiſ.ſup. nu. 34. ait,non eſſe circulum vitioſum, quandò cauſæ aſſignantur ſibi invicem cauſæ ſub diverſa cauſandi ratione; atque ita (inquit) terminatio divinæ voluntatis, eſt ratio ordinis rerum creatarum in genere efficientis; res autem creatæ ſunt ratio terminationis divinæ voluntatis in genere cauſæ formalis extrinſecæ, ſeu tamquàm termini divinæ voluntatis. Sic ille,

63. *Primũ notabile pro ſententia Smiſing.* Qui n.31.pro intelligentia ſuæ ſententiæ,&noſtræ, notat 1.dupliciter intelligi poſſe,quòd ex objectis, abſolutè & ſecundùm ſuam naturam ſpectatis, ſumatur ordo divinorũ decretorũ; nimirùm,vel permiſſivè, vel poſitivè ſic ſpectatis. Permiſſivè,quia non repugnet naturæ objectorum, quòd talem inter ſe ordinẽ ſortiantur; ſed potiùs per naturã ad hoc eis inſit quædã capacitas,& proportio,ſive naturalis,ſive obedientialis,ut poſſint congruenter ita inter ſe ordinari. Poſitivè verò,quia natura objectorum etiã exigat talem ordinem inter ea,nec ullo modo, aut non niſi violentè alium ordinẽ poſſint habere. *Secundum.* Notat 2.ad hoc, ut media ſint ordinata ad finẽ, ad quem naturâ ſuâ poſitivum ordinem non habent, ſed permiſſivũ tantùm ; non eſſe neceſſe, quòd divinæ voluntati aliqua mutatio accidat, vel Deus aliquid imprimat illis mediis, quo ad finem præternaturalẽ ordinentur: ſufficit enim, quòd cum talibus mediis velit concurrere ad talem finem,concurſu ſufficiente ſeu proportionato naturæ mediorum,ut cum tali concurſu ad conſequendũ finem conducant. Verbi gratiâ,ut aqua Baptiſmi moraliter conducat ad cauſandã gratiam ſacramentalem, non eſt neceſſe, illi aliquid phyſicũ ſuperaddi;ſed ſatìs eſt, Deum decreviſſe,ad illius applicationem phyſicè cauſare gratiam;& ut opera Chriſti fuerint meritoria,& ſatisfactoria pro genere humano,non requiritur in illis aliquid phyſicum, quod non haberent,ſi Deus Pater illa noluiſſet ad eum finẽ acceptare; ſed ſufficit,illa ſic acceptari;id eſt,Patrem decreviſſe,poſitis illis,dare hominibus, antecedente vel conſequente voluntate, remiſſionẽ peccati, gratiã,& gloriam. Ita Theod. Sed hoc non caret difficultate,ut patebit ex infrà dicendis, ubi latiùs hanc doctrinam examinabimus.

Notat 3.liberam terminationẽ divinæ voluntatis ad objecta creata,eſſe velut quandam productionem & emanationem creaturarũ à Deo; atque ita ordinem objectorum effectivè ſumi à terminatione illa, ac viciſſim terminationis ordinem ſumi terminativè ab objectis ; quemadmodùm in omni actione ratio actionis ſumitur terminativè ab effectu, & ratio effectûs ſumitur effectivè ab actione. Sic ille. Sed tu cogita,quod ſup. adhuc notavi, terminationem Dei fuiſſe ab æterno, nullam autem productionem creaturarum,niſi in eſſe volito ; & ideò dictum eſſe: *Velut quandã productionẽ*;& per conſequens, quãdò legis: *Effectivè*;intellige, *Velut effectivè*; cũ ab æterno nullus fuerit verus effectus creatus ad extrà,qui in omni rigore dicitur effectus,ſed ſolùm effectus ſeu creatura in eſſe volito.

His poſitis (inquit Smiſ. ſup.n.32) conſtat in primis,veriſſima eſſe,atque optimè cohęrere illa duo, ordinẽ divinorum decretorum ſumi ex ordine objectorũ,ut ait communis ſententia;& tamen non ex ordine objectorũ abſolutè,ſed ut ſubſunt divinæ voluntati : prior enim acceptio eſt ſecundùm terminationẽ,poſterior ſecundùm cauſalitatem & efficientiam. Deinde patet,non ita ſumi ordinem divinorũ decretorũ ab ordine objectorũ,quin poſſint objecta nullum ordinẽ poſitivum habentia ad invicem ordinari per divinam voluntatem. Denique Auctores, qui ex ordine naturali objectorum conſtituunt ordinẽ divinorum decretorum,ſolùm volunt;quòd ordo decretorũ ſumatur ex naturali ordine objectorum,permiſſivè ſolùm ſpectato:quia ſemper in objectis ſupponitur aliqua naturalis capacitas proportioque, ob quam poſſint hoc vel illo modo inter ſe ordinari; licèt actualis ordinatio ſit penes libertatem divinæ voluntatis, quæ res non ordinatas naturâ ſuâ poſitivè in ordinem redigere poteſt, & naturâ ſuâ ordinatarũ ordinem immutare. Quia tamen, niſi aliunde aliud conſtet,præſumitur,naturalem rerum ordinem ſuo curſui relinquere;ideò,ſi nihil obſtet, ſæpè Doctores rationem divinorum conſiliorum ex naturali rerum inter ſe proportione probabiliter conjectant. Hucuſque Smiſing. Et ita Scotus eſt intelligendus, ut latiùs dicam Concluſ. ſequenti, quæ ſic ſonat :

CON;

## CONCLVSIO V.

### Inter decreta divina eſt duplex ordo, ſcilicèt intentionis, & executionis.

66. *Quis ſit ordo intentionis, & quis ordo executionis.* Felix.

ORdo intentionis (juxta Felicem ſup.n. 6.) eſt,qui primò reſpicit finem, ut exequendum per media: ordo executionis eſt,qui primò reſpicit media, quibus in executione acquiritur finis intentus; & cùm in intentione finis ſit cauſa mediorum,prior eſt finis, quàm media; & cùm in executione & in genere cauſæ efficientis media cauſent finem, media ſunt priora, quàm finis. Unde ordine intentionis

*Quid ordine intentionis priùs decernatur.*

priùs Deus decrevit finem, quàm media; & inter media, priùs medium proximius fini, & poſteà minùs remotum, & ultimatè magìs remotum. Et hoc vult Scotus citatus, dicens: Ordinatè volens, priùs vult finem, & poſteà ea, quæ ſunt ad finem, & inter media, priùs quod eſt proximius fini, ſive ſit proximius ex natura ſua, ſive ex voluntate Dei. Quòd ſi proximius ſit ratione cauſalitatis; neceſſarium eſt, quòd priùs ſit volitum, quàm medium remotum; ſi verò ſolùm ſit proximius ratione dignitatis, affinitatis, & perfectionis in attingendo finem (quâ ratione ad manifeſtanda divina attributa proximior eſt Incarnatio, quàm communicatio per gratiam) non eſt neceſſarium, quòd eligatur medium proximius priùs; ſed ſolùm eſt congruentia. Ratio eſt; nam medium perfectius non habet rationem finis reſpectu medii imperfectioris: at verò quod eſt mediũ proximius ratione cauſalitatis habet rationem finis,reſpectu medii remoti.

Ordo executionis eſt oppoſitus; nam priùs

67. *Ordo executionis eſt oppoſitus ordini intentionis.*

Deus vult ultimum medium, & cętera ſuo ordine,& ultimo loco vult finem; nam ultimum medium eſt cauſa alterius medii, & in cęteris ſimili modo uſque ad finem conſequendum. Ita hos ordines explicat præfatus Auctor: paulò aliter Theod. ſup. num.35. Poſitâ (inquit)

*Qualiter hos ordines explicet Smiſing.*

abſolutâ volitione finis, liberum manet divinæ voluntati decernere de executione finis per media,aut ſine mediis: nec enim illa abſoluta volitio finis eſt cauſa adæquata finis conſequendi; ſed opùs eſt etiam, ex parte Dei, aliâ voluntate exequente, id eſt, decernente de modo conſequendi finem intentum, & volitum abſolutè. Unde quàmvis ex ſuppoſitione illius abſolutæ intentionis, neceſſarium ſit, Deum exequi finem; non tamen determinatè, ex vi illius intentionis, per media, aut ſine mediis, vel per hæc,aut illa media; ſed hæc determinatio modi exequendi finem conſiſtit in alio decreto, ſive directè ad media, & indirectè ad finem,ſive directè ad finem, ſub ratione finis, & indirectè ad media terminato. Nam ſi in exe-

*Voluntas executiva aliquandò duos actus complectitur.*

cutione finis erit obtinendus per media, & media ſint adhibenda propter finem, voluntas executiva duos actus, ratione diſtinctos, complectitur (quemadmodùm in nobis illi actus realiter diſtinguuntur) unum,qui ſit volitio finis, tamquàm gratiâ cujus adhibenda ſint media;alterum,qui ſit volitio mediorum,tamquàm propter finem; ac prior volitio in recto reſpicit finem, media in obliquo; poſterior media reſpicit in recto, & finem in obliquo, diciturque poſterior propriè electio,prior autem propriè dicitur intentio: quamquàm largè omnis volitio finis intentio appellari queat; atque ita etiam abſolutam finis volitionem poſſumus intentionem appellare, ad diſtinguendum in divino decreto ordinem intentionis, ab ordine executionis;& ad declarandũ, quomodò, etiam in ordine divinæ providentiæ, quod eſt primum in intentione,ſit ultimum in executione. Ita Theod.

Et concludit,dicens: Itaque divinum decretum circa creaturam actualem tribus actibus 68.
conſtat;primus eſt,abſoluta volitio finis;ſecundus, vel eſt volitio mediorũ propter finẽ, vel eſt volitio conſequendi finẽ abſque mediis (prout in re finis erit conſequendus per media,vel ſine illis) tertius, volitio finis ut per media conſequendi,ſi per media ſit conſequendus.

*Decretum divinum circa creaturã actualem tribus actibus conſtat.*

Quod unico exemplo,de quo latè infrà,declarari poteſt: nam primus actus divinæ voluntatis circa electos,eſt decretũ dandi illis vitam ęternam abſolutè,& abſtrahendo à modo executionis;ſecundus eſt,decretũ dandi gratiam,& merita propter illum finem;tertius eſt,decretũ dandi illum finẽ intuitu meritorum,ſeu ſub ratione mercedis,& pręmii. Hucuſque Smiſing.

*Declaratur exemplo.*

Ex quibus omnibus patet; quomodò Scotus, Concluſ. præcedenti citatus, intelligendus ſit. 69.
Siquidem explicat illis locis, tum ordinem, qui ſervatur inter intentionem finis, & electionem mediorum; tum etiam ordinem intentionis in electione mediorũ,quandò plura adhibenda ſunt in conſecutione alicujus finis; non autem agit de ordine executionis, qui eſt contrarius ordini intentionis.

*Quomodò Scotus intelligendus?*

Et quandò dicit: *Vniverſaliter ordinatè volens,priùs videtur velle hoc, quod eſt fini propinquius*; atque ex illo principio concludit,primum decretũ circa creaturã fuiſſe de Incarnatione Verbi divini;& primum decretum circa electos,fuiſſe de danda ipſis gloria æterna; ſolùm vult, nihil obſtare, quin exiſtimemus, Deum ſic voluiſſe ordinatè, id eſt,ordini rerum ſe accommodando;ſed potiùs teſtimonia Scripturæ,& Sanctorum favent huic conjecturæ,ut ſuis locis patebit.

Nec inde licet inferre(inquit Smiſ.ſup.num. 70.
32.) Deum fuiſſe voliturum inordinatè, ſi aliter voluiſſet,loquendo de inordinatione morali & vitioſa; ſed ſolùm inordinatè inordinatione naturali, ut ſic dicam, quod abſque vitio penes divini arbitrii libertatem fuit.

*Occurritur objectioni.*

Nec Scotus per hoc,quod eſt fini propinquius,intellexit illud, quod eſt propinquius dignitate præciſè; ſed dignitate propinquius conducente ad finis conſecutionem: quo pacto nihil divini Verbi Incarnatione, aut gloriâ electorum in ſuo ordine, ob utriuſque effectûs dignitatem, magìs facit ad divinum honorem, qui

*Quid Scotus intelligat per hoc, quod eſt fini propinquius.*

eſt finis cujus operum Dei. Ita Scotum explicat Theod. quem ſecutus fuit Felix, ut ſup. audivimus. Sed cùm hæc ita ſint, & communiter à Theologis recipiantur; nihilominùs Baſilius Legionenſis (ut teſtis eſt Felix ſup. num.7.) in Variis diſp.1. p. quæſt.6. cap. 8, & 9. ſolum ordinem executionis in Deo fatetur (pro quo refert Mol. 1. p. quæſt.23. a. 1. & 2. diſp. 2. & Valent. to. 4. diſp. 1. generali) & probat: quia volitio Dei libera eſt eſſentia divina cum termino: ergo ordo actuum divinorum aſſignari tantùm poteſt ſecundùm cauſalitatem objectorum: ergo cùm cauſalitas objectorum in ſola executione conſiſtat, tantùm erit ordo executionis. Confirmatur; quia nos ob ignorantiam incipimus ab intentione finis, & poſteà conſultamus de medio; nam ſi ſciremus, quæ nobis eſſent eventura, priùs executioni mandaremus primum medium, & poſteà cetera uſque ad finis conſecutionem. Reſpondet Felix ſup. neg. Conſequentiam: nam (inquit) intentio habet ſuum terminum in eſſe intentum, qui per executionem habebit eſſe executum. Ad confirmationem dicit; quòd in nobis non ſolùm ob ignorantiam eſt intentio; ſed quia agimus propter finem, ut docuerunt Ariſt. 3. Ethic. c.8. S. Tho. Scotus, & Alii; quod potiori jure Deo eſt concedendum, qui ſuavi providentiâ applicat media ad finem, quem intendit, quod patet paſſim in Scriptura: Gen.45. v.6. & 7. ait Joſeph fratribus: *Pro ſalute veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum &c. ut reſervemini ſuper terram, & eſcas ad vivendum habere poſſitis*. Ubi finis intentus à Deo erat, ut ſervarentur fratres, & ne fame perirent. Ita Franciſ.

*Baſil. Legionenſis ſolum ordinem executionis admittit, & probat.*

*Confirmatio.*

*Reſponſ. Felicis ad probationem.*

*Itemque ad confirmationem.*

71. *Objectio.*

Smiſing autem ad ſimile argumentum contra tres actus à ſe enumeratos, quos vide ſup. ad id, inquam, quod objicitur, tertium actum ſufficere ad executionem; atque adeò duos primos eſſe ſuperfluos, ac proinde in Deo non ponendos: Reſpondet n.37. hanc difficultatem procedere, quaſi actus divinæ voluntatis realiter diſtinguamus, & ad volendum media, & finem actus realiter diſtinctos requiramus; quod non requirimus, nec reverà requiritur, ut benè probat exemplum illud, ex rebus humanis adductum; quia non ſolùm Deus, ſed etiam homo ſimul cognoſcens finem, & media poteſt uno actu tendere in finem, & media, volendo finem, ut per media illa conſequendum: poteſt etiam homo, poſitâ illâ ſcientiâ, diſtincto actu priùs abſolutè velle finem, & poſteà decernere, quibus mediis, aut an omnino per aliqua media intentio finis ſit mandanda executioni, ſi plura ſint media, quorum ſingula ſufficiant ad obtinendum finem, aut omnino ſine mediis poſſit homo finem obtinere. Quandò autem unico actu vult finẽ, & media; nihilominùs ille actus priùs ratione terminatur ad finem, quàm ad media, ſaltem prioritate cauſalitatis; quia terminatio illius actûs ad finem eſt ratio, cur idem terminetur ad media; imò aliquandò, etiam prioritate ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, priùs ille actus terminari intelligitur ad finem, quàm ad media: quia ſi ille actus terminetur ad finem, ita independenter à medio, propter ipſum volito, ut ſine illo poſſet haberi; eò quòd etiam aliis mediis, aut ſine mediis poſſet finis ille eſſe volitus; tunc volitio finis, præciſè ſpectata, quatenùs ad finem terminata, poſſet eſſe abſque eo, quòd ad medium illud terminaretur; quod eſt priùs ratione ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam terminari ad finem, quàm ad medium; licèt, ſpectando creatam illam volitionem ſecundùm rem, & adæquatè, nòn poſſit ipſa terminari ad finem, quin ad illa media terminetur; quia actus creatus non poteſt aliter terminari, quàm terminetur; cùm in hoc, quòd ſic terminetur, ejus eſſentia conſiſtat. Hactenùs Theod.

*Solvitur ex Smiſing.*

*Poteſt quis unico actu tendere in finem & in media.*

*Priùs ratione terminatur ad finem.*

Cùm ergo Deus ſine ullo medio, vel cum quocumque medio, pro beneplacito ſuo poſſit finem abſolutè ſpectatum, obtinere, quem jam determinato medio vult exequi, dicendum eſt, actum illum ſimpliciſſimum Dei, quo intendit finem, & media, prioritate cauſalitatis, imò ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, priùs ſecundùm rationem terminari ad finem, quàm ad media. Dixi: *Abſolutè ſpectatum*; quia (ut notat Smiſ. ſup. num.38.) ſub aliqua ratione ſpectatus finis poteſt eſſentialiter reſpicere determinata media; adeòque ſub illa ratione non poteſt ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam priùs ratione eſſe volitus, quàm volita ſint media; ſed potiùs ſimul ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam. Quod totum (proſequitur d. Auctor) unico exemplo declaratur: nam quia beatitudo hominis abſolutè, & præciſè ſub ratione beatitudinis ſpectata non reſpicit merita hominis, tamquàm media; potuit Deus velle, & (ſecundùm veriorem ſententiam) de factò voluit eam, ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, priùs ratione abſolutè, quàm vellet homini merita, tamquàm media ad illum finem: non potuit tamen velle beatitudinem, tamquàm præmium & mercedem homini debitam, niſi volendo merita hominis; quia præmium eſſentialiter reſpicit meritum; & ideò beatitudinem ſub ratione præmii voluit ſimul ratione, ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam, cum meritis tamquam mediis. Ac circa merita, & beatitudinem, ſub ratione præmii ſpectatam, habuit duplicem actum ratione diſtinctum; unum directè terminatum ad finem, & indirectè ad media; alterum directè terminatum ad media, & indirectè ad finem; prout ſub hac diverſa ratione finis, & media poſſunt in nobis terminare actus re diſtinctos; & conſequenter ratione ſaltem diſtinctos in Deo. Sic ergo (concludit Smiſing) patet ratio diſtinguendi illos tres actus divinæ voluntatis. Addo ego, & ratio diſtinguendi ordinem intentionis ab ordine executionis.

Neque propterea actus divinæ voluntatis circa finem eſt confuſus, & imperfectus: ſiquidem adæquatè ſpectatus verſatur circa finem, & media. Hoc unicum dicimus, adæ-

quatam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quatam rationem illius actûs diſtingui poſſe in varias rationes inadæquatas & præciſas, quæ illi conveniunt, quatenùs præcisè ad hoc aut illud objectum terminatur: nam implicat in terminis, dicere, quòd ut terminatur ad objectum, abſolutè independens ab altero objecto, etiam terminetur ad alterum. Et ita (inquit Smiſ. ſup. n.39.) quia omnis finis, volitus à Deo, abſolutè eſt independens à mediis, volitio divina ad illum ut ſic terminata, non neceſſariò ad media terminatur; nec eſt intentio preſsè dicta, id eſt, volitio finis ſub ratione finis; ſed abſoluta volitio ejus, quod eſt finis, quæ poteſt largè intentio nominari: ſi tamen de factò finis ſit obtinendus per media, volitio divina ob ſuam comprehenſivam perfectionem, etiam terminatur (licèt aliâ terminatione ſecundùm rationem) ad media, quibus re-ipſâ conſequendus eſt finis, & ſic habet rationem intentionis preſsè ſumptæ, vel electionis; intentionis, quatenùs directè terminatur ad finem ſub ratione finis; electionis verò, quatenùs directè ad media terminatur, ut antè expoſitum eſt. Hęc Theod.

*Quâ ratione ſit intentio, & quâ electio.*

Quæres: utrùm poſſit dari decretum liberum Dei, abſque variatione phyſica objecti: quod aliis verbis ſic explicatur: An Deus poſſit ordinare ſuâ voluntate, in ratione finis, & medii, objecta, quæ ex natura ſua non ſunt ordinata, ſed ſolùm habent capacitatem, ut ordinentur, abſque aliqua variatione phyſica ipſorum objectorum. Sed quæ (inquis) reſolutio?

*An poſſit dari decretum liberum Dei abſque variatione phyſica objecti.*

## CONCLVSIO VI.

### Poteſt Deus ordinare ea, quæ ex natura ſua ordinata non ſunt, abſque aliqua variatione phyſica ipſorum objectorum.

74. ITa Smiſ. tract.3.diſp.3. num.31. ejus verba vide ſup. Concluſ. 4. Idem ſentit Felix de Volunt. Dei cap.4. diffic.4. num.2. cum Scoto, & Aliis, quos citat. Et, inquit, docent omnes, qui aſſerunt, de potentia Dei poſſe hominem emundari à peccato, abſque phyſica mutatione ipſius peccatoris. De qua doctrina vide me Parte 3. Theol. Sacrament. Diſp. 6. Sect. 5. Concluſ. 8. & citiùs cognoſces veritatem hujus Concluſ. quæ Probatur primò: nam (inquit præfatus Auctor) Deus poteſt abſolvere aliquem à voto, quo tenebatur, per ſolam liberam ceſſionem juris ſui; in quo caſu nulla eſſet phyſica mutatio in vovente, & tamen eſſet liberum decretum Dei. Reſpondent Adverſarii: nullo modo hominem poſſe eſſe abſolutum à voto, donec Deus revelet alicui perſonæ, vel voventi, talem relaxationem voti; nam voluntas revelandi neceſſariò oritur ex illa relaxatione: imò revelatio eſt fundamentum denominationis relaxationis, & relaxatio, ac revelatio non ſunt duæ voluntates efficaces in Deo; ſed una tantùm; quia nequit una eſſe ſine altera. Sed contrà (inquit Felix ſup.) licèt cognitio revelationis abſolutionis à voto neceſſaria ſit in vovente, ut non peccet ex conſcientia erronea; tamen revelatio præſupponit relaxationem voti, ut patet in humanis; nam quandò Papa diſpenſat, vel annullat, votum irritum eſt, & ablatum, nobis etiam ignorantibus; revelatio enim habet pro objecto relaxationem voti, & conſequenter præſupponitur ante revelationem. Ex quo conſtat, quòd revelatio neque eſt fundamentum relaxationis, cùm hæc ſit prior illâ, & fundamentum ſit priùs quàm forma: neque eſt una & eadem voluntas, cùm revelatio præſupponat relaxationem voti. Sic ille; an efficaciter, tu videris.

*Sententiam affirmantem tenent Smiſ. & Felix.*

*Probatur 1.*

*Reſponſ. Adverſariorum.*

*Impugnatur per Felicem.*

Et continuò ſubjungit aliam probationem ſuæ & noſtræ doctrinæ hiſce verbis: Nam Deus, abſque variatione phyſica in objectis, ordinat merita Chriſti Domini ad noſtram juſtificationem, & Sacramenta ad noſtram ſanctificationem, & noſtra merita ad noſtram glorificationem, quæ omnia ex natura ſua non ſunt ordinata in hos fines, etiamſi habeant capacitatem, ut ordinentur. Ita Felix poſt Smiſing, ut ſup. vidimus. Sed quid ad hæc exempla Adverſarii? Reſpondent; quòd merita Chriſti &c. habent ex natura ſua proportionem, & quaſi naturalem exigentiam ad fines prædictos; & ita ordinem decretorum horum, non ex voluntate Dei; ſed ex natura objectorum deſumendum eſſe. Sed contrà (inquit Felix ſup. num. 3.) licèt merita Chriſti Domini &c. habeant talem exigentiam; tamen non ſunt actu ordinata in tales fines: ergo ut actu ordinentur, indigent Dei ordinatione; ſicut eadem Chriſti merita habent exigentiam, ut acceptentur pro Angelorum peccatis, & tamen non fuerunt pro illis acceptata. Ita hic Auctor. Quæro ego; quam, quæſo, exigentiam habet ablutio infantis ad remiſſionem peccati originalis? Et tamen ad eam aſſumpta eſt à Deo. Hinc reſpondent ſecundò Adverſarii; quòd ad novum decretum ſufficit mutatio phyſica in aliquo alio: v.g. ut opera Chriſti Domini dicantur ordinata ad juſtificationem aliquorum, neceſſarium eſt, ut Chriſtus offerat illa pro ipſis; & ut opera noſtra ordinentur in noſtram glorificationem, & ut Sacramenta ordinentur in noſtram ſanctificationem, neceſſaria eſt revelatio facta alicui illius ordinationis. Sed contrà primò (inquit Felix ſup.) illud de revelatione jam eſt exploſum. Secundò, ut Deus opera Chriſti ordinet in noſtram redemptionem, non indiget, ut Chriſtus illa pro nobis offerat, ut de ſe patet. Sic ille. Sufficit, ut notat Smiſ. ſup. illa ſic acceptari, id eſt, Patrem decreviſſe, poſitis iſtis dare hominibus, antecedente vel conſequente voluntate, remiſſionem peccati, gratiam, & gloriam. Quòd autem in illa acceptatione

*75. Alia probatio Concluſ.*

*Reſp. Adverſariorum.*

*Improbatur à Felice.*

*Secunda reſponſio.*

*Argumentum contrà.*

Pater dependeat ab oblatione Chriſti, ex quo conſtat? Certè illa oblatio quid creatum eſt; porrò decretum Dei nequit dependere à re creata; ſic enim vileſceret.

76. *Tertia reſponſio.*

Reſpondent Adverſarii: quòd in his caſibus, licèt non eſſet variatio phyſica in meritis Chriſti &c. quia eodem modo ſe haberent, etiamſi ad tales fines non eſſent ordinata; eſſet tamen variatio phyſica in concurſu ſeu cauſalitate, quâ mediante Deus in tempore concurrit ad prædicta merita producenda: exiſtimant enim, quòd licèt res, quæ producitur, non varietur ex intentione producentis ob hunc aut illum finem, tamen cauſalitatem variari ex variatione finis; variari, inquam, actionem, non quoad eſſe eſſentiale ejus, ſed ſolùm quoad eſſe individuale; eò quòd actiones non ſpecificentur à fine operantis, ut à termino, quem immediatè producunt. Porrò cauſalitatem variari phyſicè ex variatione finis, colligunt ex eo,

*An cauſalitas varietur phyſicè ex variatione finis.*

quòd talis cauſalitas dicat intrinſecum ordinem ad finem à Deo intentum; vel ex hoc, quòd actiones, ſumptæ pro cauſalitatibus ſeu fieri rei, dicant ordinem tranſcendentalem intrinſecum, non ſolùm ad objecta; ſed etiam ad principia per ſe ipſarum; & conſequenter poſſint intrinſecè variari ex variatione principiorum per ſe, etiamſi non varietur objectum. Unde variatur phyſicè actio, quâ Deus in tempore aliquid producit, ex eo, quòd varietur finis, propter quem illud producit; eò quòd variatio finis ſtare non poteſt abſque diverſitate (ex parte objecti) cognitionis, & intentionis divinæ, quæ ſunt principium per ſe concurrens ad actiones, quibus Deus in tempore aliquid producit; & ad variationem phyſicam actionis ſufficit diverſitas principii per ſe illius.

77. *Arguitur quòd non. Primò.*

Sed contrà (arguit Felix ſup. n. 5.) actio media, quâ in tempore Deus aliquid producit, nihil aliud eſt, quàm ipſe terminus in fieri, qui producitur; & ita terminus productus per actionem, non differt à tali actione, ut res à re; ſed eſt eadem res cum diverſo ſtatu, ut calefactio, & calor: ergo ſi in termino producto, nempe meritis Chriſti non eſt variatio; ergo neque in actione aut cauſalitate. Alioquin, ſi actio, quâ Deus aliquid in tempore producit ex intentione alicujus finis, dicit in ſuo intrinſeco eſſe phyſico ordinem ad prædictum finem, ſequeretur, actiones, quibus Deus in tempore producit res ejuſdem ſpeciei propter fines ſpecie diverſos, eſſe in eſſe phyſico intrinſeco diverſæ ſpeciei, quod eſt contra ipſos Adverſarios.

*Secundò.*

Atque ut actio variaretur ex variatione principiorum per ſe, non tamen inde ſequitur, quòd actio varietur ex eo, quòd finis varietur; quia (inquit Felix ſup.) licèt verum ſit, quòd ſi finis varietur, varietur etiam ex parte objecti cognitio, & intentio Dei: tamen neque divina cognitio, neque intentio Dei ſunt principia phyſicè influentia in res, quas producit ad extrà; ſed actus divinus executivus voluntatis, qui invariatus ſemper manet ex parte objecti; & ad variationem actionis, quâ Deus aliquid ad extrà producit, non ſufficit variatio qualiſcumque principii, ſed neceſſaria eſt variatio principii influentis per ſe phyſicè; v. g. Incarnationis actio eadem eſt, ſive fiat ex intentione redimendi hominẽ, ſive ad nobilitandam humanitatẽ; ſicut in nobis eadem eſt largitio eleëmoſynæ, ſive hoc, ſive illo fine fiat. Ita hic Auctor.

*Ad variationẽ actionis divinæ, non ſufficit variatio qualiſcumque principii.*

Reſpondent Adverſarii: eſſe quidem ſemper variationem phyſicam in rebus, quandò eſt novum decretum; ſed nos ſæpè illam ignorare; nec mirum, quandoquidem finem ipſum, & intentionem Dei efficacem ignoremus. Sed contrà (auditis Felicem ſup. n. 6.) quia ſi ex variatione objecti colligimus diverſum decretum, ſi ignoramus variationem, etiam ignoramus decretum. Rursùs: unde probatur, neceſſariam eſſe variationem phyſicam ad diverſum decretum? Nam hoc negamus, & ipſi ſupponunt. Denique: contra hoc eſt; quòd ex intentione inefficaci Deus aliquid efficit ad extrà, ſecundùm ipſos; & tamen ex tali intentione non poteſt oriri variatio phyſica in effectu; ergo datur diverſum decretum ſine phyſica variatione. Ita Franciſc. Reſpondet aliquis Adverſariorum; ſemper dari variationem realem, ſi non poſitivam, ſaltem negativam; nam ſi, v.g. Incarnationem Deus voluiſſet propter redemptionem Angelorum, ita fuiſſet Incarnatio conjuncta redemptioni Angelorum, ut, ſi eadem Incarnatio fieret ſolùm propter redemptionem hominum, jam non eſſet conjuncta cum redemptione Angelorum; ſiquidem una actio non poteſt habere duos fines totales, & ita quotieſcumque variatur finis, etiam variatur Incarnatio; quia eſt conjuncta cum tali fine, & ſi finis deficiat, deficiet quoque conjunctio. Sed neque hæc reſponſio placet Felici: quia (inquit) hæc variatio non eſt phyſica; ſed ſolùm eſt extrinſeca denominatio proveniens in objecto ex tali fine, quam nos Scotiſtæ fatemur. Sic ille.

Et actutùm ſubjungit tertiam probationem noſtræ Concluſ. dicens num. 8. voluntas noſtra poteſt ordinare in ratione finis, & medii ea, quæ ordinata non ſunt, ſine mutatione phyſica in rebus ordinatis: ergo potiori jure poterit id Dei voluntas. Reſpondent Adverſarii: hoc poſſe fieri à voluntate humana; quia ordinando ipſa mutatur, cùm hoc fiat actu elicito; Deus verò non elicit actus. Sed contrà (inquit Franciſ.) voluntas Dei, ob ſuam infinitatem, efficit unico actu, quod creata pluribus actibus: ergo ſi creata ſine mutatione phyſica in objecto ordinat, etiam divina ordinabit. Ita Felix. Dices: Non datur tranſitus à contradictorio ad contradictorium ſine mutatione phyſica in aliquo; ſed Deus tranſit de non volente liberè ad volentẽ liberè: ergo cùm in Deo non poſſit eſſe mutatio, neceſsè eſt, ut reperiatur in objecto. Reſpondet Felix ſup. num. 9. neg. Majorem: nam ſufficit (inquit) quòd objectum modò ſit volitum, quod anteà non habebat. Vide me de hoc argumento loco ſup. citato num. 458. ac ſeqq. & ſpero, quòd nihil ultrà deſiderabis.

Puto

*Concluſio ſolùm negat variationem phyſicam.*

Puto (ſalvo meliori) quæ hactenùs dicta ſunt ſatìs ſuperquè oſtendere probabilitatem noſtræ Concluſ. hoc notato, quòd non loquatur de quacumque variatione; ſed de ſola phyſica, ut patet ex ejus verbis; nam moralem ſeu novam denominationem extrinſecam admittimus, & hæc ſufficit; v.g. volitio, quâ Deus vult aliquem facere Regem, vel amicum, non infert niſi talem novam denominationem; neque aliquid phyſicum de novo debet in tali homine produci, ut patet in nobis. Aſſignant quidem Adverſarii differentiam inter Deum, & hominem, ſed inſufficientem, ut jam oſtendimus ex Felice.

# SECTIO QUARTA.

## DE VARIIS DIVISIONIBVS DIVINÆ VOLVNTATIS.

1\. *Vnicus actus divina voluntatis æquivalet pluribus.*

POſtquàm egimus (utor verbis Felicis ſup. cap. 5. diffic. 1. num. 1.) de exiſtentia, quidditate, & qualitate divinæ voluntatis, ſolùm reſtat, ut ejus quantitatem, ſcilicèt diviſiones varias declaremus; nam quàmvis certum ſit, actum divinæ voluntatis eſſe unicum & indiviſibilem; tamen propter ſuam infinitatem, & eminentiam pluribus æquivalet, & ſic propter diverſa objecta eum in plures partimur; eo planè modo, quo, ſuo loco ex varietate objectorum diviſimus ſcientiam divinam, non quidem in plures ſcientias; ſed in plures terminationes ejuſdem ſcientiæ inadæquatas. Igitur dividitur hìc voluntas non quoad ſe, ſive in quantùm eſt potentia; ſed quoad actum ſecundum, vel potiùs, quoad terminationem ejus, ut patebit ex dicendis hâc Sectione. Sit itaque.

## CONCLVSIO I.

**Voluntas divina dividitur æquivocè in voluntatem ſigni, & beneplaciti. Signa voluntatis aſſignantur præceptum, prohibitio, conſilium, permiſſio, & operatio.**

2\. *Diviſio voluntatis divinæ in beneplaciti & ſigni eſt æquivoca. Smiſing.*

COnſentiunt Theologi (teſte Smiſing Tract. 3. diſp. 5. quæſt. 2. num. 21.) diviſionem voluntatis in beneplaciti, & ſigni eſſe diviſionem æquivocam, & voluntatem ſigni non eſſe voluntatem propriè; ſed ita nominari eo modo, quo teſtamentum, ſeu ſcriptura teſtatoris voluntas teſtatoris appellatur; quia eſt ſignum voluntatis ejus. Ergo quia Deus præcipiendo, prohibendo, conſulendo, permittendo, operando, ſignificat ſe quidpiam velle, aut nolle impedire, præceptum, prohibitio, conſilium, permiſſio, operatio Dei, divinæ voluntates ſigni nominantur: unde ſola voluntas beneplaciti propriè eſt actus voluntatis in Deo. Conſentiunt quoque; voluntatem beneplaciti ſemper aliquo modo efficacem eſſe, adeòque ſemper aliquo modo impleri, ut patebit ex ipſis infrà allegandis. Hinc autem ulteriùs conſequenter ſentire debent, qui, ſecundùm dicta ſuperiùs, nobiſcum ſentiunt, Deum ſimplici affectu & prorsùs inefficaci diligere ens creatum in eſſe eſſentiæ ſpectatum; ſentire, inquam, debent, propoſitam divinæ voluntatis diviſionem non complecti omnem divinæ voluntatis actum; ſed ſolummodò omnem ejus actum efficacem, cujus diviſionem pro ſubjecta materia, in qua verſabantur, explicando providentiam Dei, ſufficere exiſtimabant. Ita Theodor.

*Voluntas beneplaciti ſemper aliquo modo eſt efficax.*

3\. *Aliæ diviſiones voluntatis divinæ.*

Et continuò infert: Immediatiùs ergo (ſuppoſitâ illâ ſententiâ) dividitur actus divinæ voluntatis in volitionem, & nolitionem; & utraque in ſimplicem, & efficacem; & efficax in antecedentem, & conſequentem, ut optimè Scotus indicavit in Report. lib. 1. diſt. 48.
*Scotus.*
num. 11. in impreſſione Colonienſi, ubi ſic ait ad noſtrum propoſitum: *Ad tertiam quæſtionem, cum quæritur: Vtrùm voluntas Dei ſemper impleatur, dico, quòd voluntas poteſt accipi, ut voluntas eſt potentia, vel ut eſt voluntatis velle* (id eſt, actus voluntatis) *vel ut eſt voluntatis ſignum, ſicut dicitur, veritas eſt in intellectu, & in propoſitione, ut in ſigno. Adhuc voluntatis actus dividitur in volitionem, & nolitionem in nobis; quia nolitio eſt quadam nolitio poſitivè. Et utraque ſubdividitur: volitio in velle complacentiæ, ſicut deſperans de ſanitate vult ſanitatem, quia complacet ſibi; ſed non vult voluntate efficaci, quod eſt velle efficax; ſicut ſperans ſanitatem, vult eam efficaciter. Velle efficax ſubdividitur: aliud eſt intenſum, ut cum homo vult cum ultimata potentia aliquid; aliud velle efficax remiſſum, ut cum quis vult aliquid efficaciter; non tamen ſecundùm totum conatum: & omnibus eiſdem modis diſtinguitur nolitio. Ex his ad propoſitum, volitio divina complacentiæ eſt reſpectu omnium aliorum a ſe; ſed non habet voluntatem efficacem reſpectu impoßibilium, nec reſpectu fiendorum, neque aliquâ volitione ſimplici vult mala: ſed voluntate efficaci futura contingentia pro tempore, quo erunt, ſed non pro alio; quia cauſa perfecta ultimatè determinata, ſi non mutabilis, neque impedibilis ponit effectum pro illo tempore, pro quo vult determinatè effectum.*

*Subdiviſio volitionis in efficacem, & inefficacem.*

*Objectum divinæ volitionis complacentiæ.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN